Ceterum hoc ipsum fragmentum argumentum fabulae satis clare indicat. Vix enim dubitari potest, quin poeta insanum athleticae amorem, iam superiore aetate a Solone (Diodor. Sic. Exc. Vat. XVI 28) Xenophane Colophonio (Fragm. XIX p. 60 Karst.) Euripide (Autol. Fragm. I) aliisque gravissime exagitatum, perstringere et in contemptum adducere voluerit.

II.

Εἶτ' ἐν χάρακι μὲν ταῦτα καὶ παρεμβολῇ.

Pollux IX 15: *παίζοντι δὲ τὸ στρατόπεδον ἔξεστι κατὰ τὴν τῶν πολλῶν χρῆσιν καὶ παρεμβολὴν ὀνομάσαι, παρεχόμενόν τινα τῶν νεωτέρων Θεόφιλον ἐν Παγκρατιαστῇ εἰρηκότα Εἶτ' ἐν χάρακι κτλ.* Ex Pollucis verbis coniicias haec figurate dicta fuisse. Initio fortasse *εἶτ' ἐν χάρακι* scribendum. Pro *Θεόφιλος* codices fere *Δίφιλος*.

ΠΡΟΙΤΙΔΕΣ.

*Καὶ κυλίκα * * θηρίκλειον εἰσφέρει*
πλέον ἢ κοτύλας χωροῦσαν ἕπτ' ἀγαθῆς τύχης.

Athenaeus XI p. 472 e. de thericleis poculis disserens: *Θεόφιλος — ἐν δὲ Προιτίσι Καὶ κύλικα κτλ.* Vs. 1 supplere possis *κοίλην*, vel *πλήρη*, vel *μεστήν*. Dindorfius *μεγάλην*.

ΦΙΛΑΥΛΟΣ.

I.

Τίς φησι τοὺς ἐρῶντας οὐχὶ νοῦν ἔχειν;
ἢ πού τίς ἐστι τοὺς τρόπους ἀβέλτερος·
εἰ γὰρ ἀφέλοι τις τοῦ βίου τὰς ἡδονάς,
καταλείπετ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν τεθνηκέναι.

ἐγὼ μὲν οὖν καὐτὸς κιθαριστρίας ἐρῶν,
παιδὸς κόρης, οὐ νοῦν ἔχω πρὸς τῶν θεῶν;
κάλλει καλῆς, μεγέθει μεγάλης, τέχνῃ σοφῆς·
ἣν ἔστ' ἰδεῖν ἥδιον, ἢ τὸ θεωρικὸν
ἔχουσιν ὑμῖν διανέμειν ἑκάστοτε.

Athenaeus XIII p. 563 a: *Θεόφιλος δ' ἐν τῷ Φιλαύλῳ Τίς φησι κτλ.* Quattuor primos versus Antiphani tribuit Stobaeus Floril. LXIII 12. qua de re vide ad Antiphanis Incert. fab. fragm. LI. Vs. 1 „*τίς* ABC. *ὅς* VL. om. P. *εἴ τις* Stobaeus, ubi *τις* omittit codex Parisinus, si fides Brunckio." *Dindorfius.* — Vs. 4 *οὐδὲν ἕτερον ἢ τεθνηκέναι* Stobaeus. — Vs. 5 *ἐρῶν* pro *ἐρῶ* Casaubonus. Cfr Lennep ad Phal. p. 213. — Vs. 6 *παιδὸς κόρης.* Aristoph. Lys. 595 *παῖδα κόρην γεγάμηκεν.* — Vs. 7 Eustathius ad Od. p. 1558 14: *εἰς τοὺς δὲ ἐνταῦθα γυναικείους Ὁμηρικοὺς* (Odyss. ζ' 167) *σημείωσαι παλαιὸν ὕστερον οὐδέν τι ἐοικὸς τοῖς Ὁμήρου τὸ κάλλει καλῆς, μεγέθει μεγάλης, τέχνῃ σοφῆς.* — Vs. 8 libri *ἣν ἰδεῖν ἥδιόν ἐστιν.* Correxit Burneius apud Gaisfordium ad Eurip. Suppl. 1101. Ibidem *θεωρικὸν* scripsit Canterus Nov. Lect. IV 5 pro *θεωρητικόν.* — Vs. 9 *ὑμῖν* pro *ἡμῖν* Grotius Exc. p. 707. Pro *ἔχουσιν* Grotius *αἰτοῦσιν.* Iacobsius Addit. p. 207 *διαμένειν ἑκὰς πόνων.* Neutrum probari potest. Vitium in uno *διανέμειν* latere videtur, quamquam *τὸ θεωρικὸν διανέμειν* per se rectissime dicitur.

II.

Τοῦ μή ποτ' αὐτὸν ἐμπεσεῖν εἰς Λαΐδα
φερόμενον ἢ Μηκωνίδ' ἢ Σισύμβριον
ἢ Βάραθρον ἢ Θάλλουσαν, ἢ τούτων τινὰ
ὧν ἐμπλέκουσι τοῖς λίνοις αἱ μαστροποί,
ἢ Ναννάριον ἢ Μαλθάκην.

Athenaeus XIII p. 587 f. de meretricibus disserens: *Θεόφιλος Φιλαύλῳ Τοῦ μήποτ' αὐτὸν κτλ.* Videntur pa-

tris verba esse de filio solliciti et ne meretricum amoribus irretiatur verentis. Orationem apparet suspensam esse ab iis quae proxime antecedebant: *Custodem apponam filio ne praeceps feratur in Laidem* etc. Vs. 4 libri *λίθοις*. Dalecampius in versione *retibus*, unde *λίνοις* edidit Schweighaeuserus. — Vs. 5 *Νάννιον* PVL. *ναύσιον* AB. Scripsi *Ναννάριον*. Vide ad Menandrum p. 102. *Μαλθάκην* BPVL. *μαλαθάκην* A. De *Μαλθάκη* nomine meretricio vide Hist. crit. p. 329. Ceterum parum opportune haec verba, *ἢ Ναννάριον ἢ Μαλθάκην*, post reliqua inferuntur. Ac fortasse ne scripsit quidem ea Theophilus. Certe in versus initio non posita fuisse videntur, in quo potius accusativum desidero ab *ἐμπλέκουσι* pendentem, v. c. *τὰ μειράκια*.

EPIMETRUM

DE PHILOXENI CYTHERII CONVIVIO.

EPIMETRUM

DE PHILOXENI CYTHERII CONVIVIO.

Philoxeni Cytherii carmen in quo lautissimas, ipsius fortasse Dionysii, epulas in amici cuiusdam sui gratiam descripserat, etsi in levi et ludicro versabatur argumento, nec sine iniuria propter audacissimas quasdam verborum compositiones ridetur ab Aristophane *), tamen quae servata sunt eius carminis reliquiae planissime confirmant Antiphanis **) de Philoxeno iudicium, qui ingeniosum poetam hoc ornavit praeconio:

πολύ γ' ἐστὶ πάντων τῶν ποιητῶν διάφορος
ὁ Φιλόξενος· τὰ πρῶτα μὲν γὰρ ὀνόμασιν
ἰδίοισι καὶ καινοῖσι χρῆται πανταχοῦ·
ἔπειτα τὰ μέλη μεταβολαῖς καὶ χρώμασιν
ὡς εὖ κέκραται· θεὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἦν
ἐκεῖνος, εἰδὼς τὴν ἀληθῶς μουσικήν.

Constabat autem Philoxeni carmen duabus potissimum partibus, quarum altera coenae, altera secundarum mensarum descriptionem complectebatur. Ex priore parte quae ab Athenaeo cum aliis locis tum maxime libro IV 146 f. fragmenta servata sunt, partim ab aliis iam ad saniorem formam revocata partim adeo corrupta sunt, ut mihi quidem omnis labor eorum emendationi frustra insumi videatur. Paullo felicius in ceteris fragmentis opera mihi successit, quorum quod apud Athenaeum libro XIV p. 643 legitur, cum passim in

---

*) V. Bergkium Comment. p. 212. **) V. Antiphanis fragm. p. 121.

superioribus ad partes vocaverim, hoc loco paullo emendatius scriptum proponam:

Τὰς δὲ δὴ πρόσθεν μολούσας . . . . λιπαραυγεῖς
πορθμίδας πολλῶν ἀγαθῶν πάλιν εἴσφερον γεμούσας,
τὰς ἐφημέριοι καλέοντι νῦν τραπέζας,
ἀθάνατοι δέ τ' Ἀμαλθείας κέρας· ταῖς δ' ἐν μέσαις
ἐγκαθιδρύθη μέγα χάρμα βροτοῖς λευκὸς μυελὸς γλυκερός, λεπτοῖς ἀράχνας ἐναλιγκίοισι πέπλοις
συγκαλύπτων ὄψιν αἰσχύνας ὕπο μὴ κατίδῃ τις
μαλογενὲς πῶϋ λιπόντ' ἀνάγκαις,
ξηρὸν ἐν ξηροῖς Ἀρισταίου παλιρρύτοισι παγαῖς·
τῷ δ' ὄνομ' ἦς ἄμυλος· χερσὶν δ' ἐπίθεντο στόμιον μαλεραῖς τὰς
δεξαμένην ὅτι καὶ διδῷ τις. ἃ Ζανὸς καλέοντι
τρώγματ'· ἔπειτ' ἐπένειμεν ἐγκατακνακομιγὲς πεφρυγμένον
πυρβρομολευκερέβινθον ἀνθεσίκρατον ἀδύ
βρῶμα τὸ παγκατάμικτον· ἀμπυρικηροιδιστίχας παρεγίνετο τούτοις
σταιτινοκογχομαγὴς ὅ τε ζεσελαιοξανθεπιπαγκαπύρωτος χοιρίνας
ἀδέα δ' εὖ κυκλώθ' ὁμόφωκτ' ἀνάριθμα,
καὶ μελίπηκτα τετυγμέν' ἄφθονα σασομόφωκτα.
τυρακίνας τε γάλακτι καὶ μέλι συγκατάφυρτος
ἦς ἄμυλος πλατανίτας, σασαμορυτοπαγῆ δὲ
καὶ ζεσελαιοπαγῆ πλατύνετο σασαμόπαστα
πέμματα, κᾆτ' ἐρέβινθοι κνακοσυμμιγεῖς καλαῖς θάλλοντες ὥραις·
ᾠά τ' ἀμυγδαλίδες τε τῶν μαλακοφλοΐων . . . . . τε τρωκτά τε παισὶν

ἀδυΐδη κάρυ', ἄλλα θ' ὅσσα πρέπει παρὰ θοίναν
ὀλβιόπλουτον [*ἔμεν*]. *πόσις τ' ἐπεραίνετο κότταβοί τε*
λόγοι τ' ἐπὶ κοινᾶς.
ἔνθα τι καινὸν ἐλέχθη κομψὸν ἀθυρμάτιον καὶ
θαύμασαν αὔτ' ἐπί τ' ᾔνησαν . . . .

Vs. 1 indicavi lacunam: excidit pes choriambicus. — Vs. 2 *πορθμίδας πολλῶν ἀγαθῶν.* **Navibus onerariis comparat mensas cibis onustas. Similiter Alexis p. 461** *παρέθηκε τὴν τράπεζαν, εἶτα παραφέρων ἀγαθῶν ἁμάξας.* **Ibid. libri** *εἰσέφερον.* **At nusquam tribus dactylis deinceps sese excipientibus in hoc carmine usus est Philoxenus. Itaque** *εἴσφερον* **scripsi. — Vs. 3 propter numeros suspectus est; nusquam enim poeta usus est versibus a basi vel anacrusi incipientibus. Itaque scribendum videtur,**

τὰς ἐφήμεροι καλεῦντι νῦν τραπέζας.

Trochaicis numeris non in fine tantum et initio versuum dactylicorum, sed etiam ita usus est poeta, ut totos versus ex iis componeret, veluti vs. 8. Atque ita etiam in loco apud Athenaeum IV p. 147 c: *ὀμφαλὸς θοινάας καλεῖται παράγεμιν κάπιν σαφύοιδα.* **Quae tenebricosa verba ita scribenda sunt:**

*ὀμφαλὸς θοίνας καλεῖται παρά γ' ἐμὶν**) *καὶ τίν, σάφ' οἶδα.*

Eadem aliorum huius aetatis lyricorum ratio, apud quos frequentissimus trochaicorum numerorum, eorumque ad inusitatam saepe longitudinem coniunctorum, usus fuit **). **— Vs. 4**

---

*) Rectius fortasse *πάρ γ' ἐμίν.* Solutionibus enim constanter Philoxenus in hoc carmine abstinuit.

**) Vide e. c. Melanippidis Melii locum apud Athenaeum XIV p. 651. cuius partem supra emendavi ad fragmenta Mnesimachi p. 575. Trochaicis tetrametris item usus est Telestes apud Athenaeum XIV p. 616 f. cuius verba ita corrigenda videntur:

Ἂν σοφὸν σοφὰν λαβοῦσαν οὐκ ἐπέλπομαι νόῳ
δρυμοῖς ὀρείοις ὄργανον, δίαν Ἀθάναν,
δυσόφθαλμον αἶσχος ἐκπλαγεῖσαν
αὖθις ἐκ χειρῶν βαλεῖν. νυμφαγενεῖ χοροκτύπῳ

Ἀμαλθείας κέρας. Imitatur sermonem Homericum. Cfr Lobeckius Aglaoph. p. 863. Ibid. libri *ταῖσι*, quod propter metrum correxi. In sequentibus non medulla, ut ex versu quinto coniicere possis, sed *ἄμυλος* describitur, h. e. edulium ex coacto lacte et melle confectum, quod *τυρὸν ἐν μέλιτι* vocat Pherecrates Dulodid. I, 7. et in coenae quoque apparatu commemoravit Philoxenus apud Athen. IV p. 147 e: *ὁμοσύζυγα δὲ ξανθόν τ' ἐπεισῆλθεν μέλι καὶ γάλα σύμπακτον, τό κε τυρὸν ἅπας τις ἦμεν ἔφασχ' ἁπαλόν, κἠγὼν ἐφάμαν*. Itaque *μυελὸς* non proprio sensu accepiendum, sed de lacte interpretandum, quod condensatum quidem erat, sed tamen mollitudinem medullae referebat (*gallertartig*). Eodem sensu *ὄστρεα μυελόεντα* dixisse videtur Matron Athenai IV p. 135 a. et *μυελόεντα ποτὸν ὄρνιθος* Nicander Alexiph. 59. ubi scholiasta *τὸν ὡς μυελὸς γενόμενον ἐκ τῆς ἑψήσεως*, prorsus ut in loco Alexidis e *Πονηρᾷ* (Fragm. I, 7) de salsamento dicentis: *εἶθ' ἕψων ποιῶ μυελόν, ἀφεῖλόν τ' ἐπιγανώσας σιλφίῳ*. Hanc autem veram esse loci explicationem nescio an Antiphanis testimonio probari possit, qui simillimam placentae circumscriptionem exhibuit Aphrod. I, 7:

εὖ λέγεις· ξουθῆς μελίσσης νάμασιν δὲ συμμιγῆ
μηκάδων αἰγῶν ἀπόρρουν θρόμβον, ἐγκαθήμενον
εἰς πλατὺ στέγαστρον ἁγνῆς παρθένου Δηοῦς κόρης,
λεπτοσυνθέτοις τρυφῶντα μυρίοις καλύμμασιν,
ἢ σαφῶς πλακοῦντα φράζω σοι;

Sed dicendum de singulis. — Vs. 5 *ἀράχνας* genitivus ab *ἐναλιγκίοισι* pendet, quod genitivo non minus recte iungitur

---

φηρὶ Μαρσύᾳ κλέος· τί γάρ νιν
εὐηράτοιο κάλλεος ὀξὺς ἔρως ἔτειρεν;
τᾷ γὰρ παρθενίαν ἄγαμον καὶ ἄπαιδ' ἐπένειμε Κλωθώ.

In his vs. 1 pro *ὃν* scripsi *ἄν*, quod ad Minervam referendum. — Vs. 2 editur *δῖαν*. At metrum requirit *δίαν*, cuius formae exempla attulit alicubi Dindorfius. — Vs. 3 *ἐκπλαγεῖσαν* scripsi pro *ἐκφοβηθεῖσαν*, quod ex interpretatione irrepsisse videtur. — Vs. 4 *χοροκτύπῳ* scripsi pro *χειροκτύπῳ*. Similiter Iacobsius *χοροιτύπῳ*. — Vs. 5 non satis integer scriptus videtur. — Vs. 7 *τᾷ* scripsi pro *ᾇ*, et *ἐπένειμε* pro *ἀπένειμε*.

quam *ὁμοῖος*, de quo vide Schaeferum Melet. p. 134. Quod autem involucris illis prae pudore faciem obvolvere dicitur, simillimo lusu Alexis in Crateua Fragm. I, 16 de hepatio dixit:

ἡπάτιον ἐγκεκαλυμμένον,
αἰσχύνεται γὰρ πελιτνὸν ὂν τῷ χρώματι.

Cfr Crobylus Pseudohyperb. II 2: *αἰσχυνόμενον ἧπαρ καπρίσκου σκατοφάγου.* — Vs. 6 in fine ex B scripsi *μή κατίδῃ τις* pro *μὴ κατίδῃς*, quod neque ad metrum nec ad sententiam aptum erat. — Vs. 7 vulgo *μολογενὲς* (B *μηλογενὲς*) *πῶϋ λιπὼν ταῖς ἀνάγκαις.* Quae satis certa coniectura restituisse mihi videor. Verbis *μαλογενὲς πῶϋ* ovem circumscripsit. Eam necessitate coactum reliquisse dicitur lac; quo nihil aliud indicatur quam *γάλα ἀμελχθέν.* Sed praeterea in metro haereo, quod etsi per se spectatum nihil insolentiae habet, huius tamen carminis legi minus accommodatum est. Requiro tales numeros:

μαλογενὲς κραταιαῖσι πῶϋ λιπόντ' ἐν ἀνάγκαις.

Κραταιαῖσι exempli causa proposui, non quod ita poetam scripsisse affirmem. Ac nescio an etiam aptius *μαλακαῖσι* suppleas. Ex eodem genere plerique sunt versus quum in hoc ipso fragmento, tum in eo quod Athenaeus libro quarto servavit *). Constant autem duobus ordinibus logaoedicis,

— ∪ ∪ — ∪ ∪ — $\overset{\cup}{—}$ | — ∪ ∪ — ∪ ∪ — $\overset{\cup}{—}$

atque *enopliorum* versuum nomine frequentabantur teste Eustathio ad Odyss. p. 1899. Eodem metri genere passim Pindarus usus est. Philoxenus autem etiam tres ordines

---

*) In hoc quae p. 147 b. leguntur vulgo sic scripta: *πάντα παρῆν ἑτόμως (A ἑτύμως) ὔμμιν, παρέπεσσε δὲ θερμὸν σπλάγχνον· ἔπειτα δὲ νῆστις δέλφακος οἰκετικᾶς, καὶ νώτιος εἴληφε καὶ ἰσφῦς καὶ μινυρίγματα θερμά*, haec igitur in hunc fere modum scribenda sunt:

πάντα παρῆς ἑτύμως ἄμμιν· παρέπεσσε δὲ θερμὸν
σπλάγχνον, ἔπειτα δὲ νῆστις δέλφακος οἰκετικᾶς καὶ
νῶτος ἐσῆλθε καὶ ὀσφὺς καὶ μινυρίγματα θερμά.

In his *ἐσῆλθε* pro *εἴληφε* Bergkii emendatio est. *Μινυρίγματα* verto *minutal.*

logaoedicos ad unum versum coniunxit, e. c. vs. 13 et 23, et trochaicis numeris utrimque admixtis vs. 5. — Vs. 9 *ξηρὸν* intellego de lacte condensato, quemadmodum *τυρὸν ξηρὸν* dixit Antiphanes Cycl. II, 7. et *ξηρὸν γάλα* prorsus eodem sensu Nicander Ther. 696 *στροφάλιγγα περιξήροιο γάλακτος*, quod recte interpretatur scholiasta per *τροφαλίδα τυροῦ*. Cfr Eustathius ad Iliad. p. 1001 51: *χλωρὸς τυρὸς ὁ νεοπαγής, ὥσπερ αὖ πάλιν μὴ τοιοῦτος γάλα εἴρηται ξηρόν*. Eadem interpretatio adhibenda mihi esse videtur verbis *ξηροῖς Ἀρισταίου παγαῖς*, quibus mella indicari credo ad densitatem quandam coacta. Pro *ξηροῖς* autem fortasse *ξηραῖς* scribendum est. Sed *παλίρρυτοι πηγαί*, *refluentes fontes*, quid sit non intellego. Fortasse *μελιρρύτοισι* corrigendum. — Vs. 9 cod. A *τὸ δ' ὄνομ' ἧς ἄμυλλος*. B *τὸ δ' ὄνομης ἄμυλος*. Hinc scripsi quod vel metrum requirit *τῷ δ' ὄνομ' ἧς ἄμυλος*. Quae sequuntur *χερσὶν δ' ἐπίθεντο* etc. non expedio; nisi quod vs. 10 propter metrum *καλεῦντι* scribendum videtur. — Vs. 11 libri *ἐν κατάκνα κνομιγές*. Coniunxi haec ad unum vocabulum. Dindorfius, cui verba *ἐν κατὰ* delenda videbantur, metri rationem non perspexit. — Vs. 12 codicis A lectio haec est *πυροβρομολευκερεβινθοάκανθουμικριτοαδυ*, quam ita correxi ut ipse mihi non satisfecerim. Prius tamen aptissimum epitheton est cibi ex fresis ciceribus compositi: *πυρ* autem cur scribendum putem pro *πυρο*, ad vs. 3 indicatum est. *Βρόμον πυρὸς* de ignis strepitu dixit Homerus Iliad. ξ 396. — Vs. 13 *ἀμπυρικηροιδιστίχας*, pro quo B habet *ἀμπυκι κηρος δήστιχας*, non expedio; pro *κηροι* metrum flagitat *κηριο*. Coniunxi autem hoc nomen cum sequentibus; vix enim dubitari potest quin in eo substantivum lateat, cui quod epitheton addidit poeta verbis sequentibus contineri suspicor ita vulgo editis *ταίτιν ὁ κολχομανής* (B *κογχομανής*). Coniunxi haec ad unum vocabulum *σταιτινοκογχομαγής*, h. e. ex farina et conchide subactus vel compositus. *κόγχος* enim, quem latine *conchis* dicunt, fabae genus est vel cibus ex fabis confectus. Cfr Antiattic. p. 105 17. Huic quae proxime in-

feruntur, ita vulgo eduntur τοξαισελαιοξανθεπίπαν καπυρός, pro quo quod ego reposui placentae est epetheton in fervente oleo apparatae, quae flavum colorem duxit et tota obdurata est. ξανθὸν πλακοῦντα habemus apud Matronem Athenaei IV p. 137 b. καπυρωτὸς pro καπυρὸς metrum flagitat. Quod in fine huius versus et initio sequentis legitur χοιρίνας ἀδέα, vulgo χοιρινισάδεα scribitur. Χοιρίναι qui sint docet Athenaeus XIV p. 647 b. Χοιρίναι: τούτων μνημονεύει Ἰατροκλῆς ἐν τῷ περὶ πλακούντων καὶ τοῦ πυραμοῦντος καλουμένου, διαφέρειν λέγων τῆς πυραμίδος καλουμένης. γίνεσθαι γὰρ ταύτην ἐκ πυρῶν πεφωσμένων καὶ μέλιτι δεδευμένων. αὗται δὲ ἆθλα τίθενται ταῖς παννυχίσι τῷ διαγρυπνήσαντι. In his pro αὗται scribendum οὗτοι. Neque enim χοιρίνας a nominativo ἡ χοιρίνη derivandum, sed ab ὁ χοιρίνης sive χοιρίνας, scil. πλακοῦς, quemadmodum vs. 17 legitur τυρακίνας et apud Athenaeum XIV p. 645 d. ὁ γλυκίνας. — Vs. 15 δ' εὖ scripsi pro δέ, et κυκλωτὰ ex P pro edito κυχλωτά. Bellaria orbiculata passim commemorantur. V. Lobeckium Aglaoph. p. 1074 et Matronem Athenaei IV p. 137 b. Tum ὁμόφωκτα scripsi pro ὁμόφλωκτα, quod quid sit nemo adhuc docuit. Cfr ad vs. 16. Sed priorem verbi partem non credo incorruptam esse. Num forte ὀπόφωκτα scribendum, i. e. *adsperso silphii succo tosta*? Non credo tamen versum persanatum esse, siquidem metri ratio docet inter ἀδέα δὲ et κυκλωτὰ plura excidisse. — Vs. 16 libri τετυγμένα ἀφθόνας ἀσομόφλωκτα. Schweighaeuserus ἄφθονα σασαμόφλωκτα. Scripsi σασαμόφωκτα, i. e. *adsperso sesamo tosta*, a verbo φώγειν vel φωγνύναι, de quo vide ad Pherecratis fragm. p. 281. Adiectivo φωκτὸς usus est etiam Nicander apud Athenaeum III p. 126 c. — Vs. 17 τυρακίνας ab obsoleto τῦραξ pro τυρὸς formatum videtur. Cfr ad vs. 14. Ibid. libri καὶ μέλιτι συγκατάφυρτος. Bergkius Comment. p. 298: καὶ μέλι συγκατάφυρτος, ut μέλι indeclinabile sit, allato Hesychio, Μέλι ἔοικε: μέλιτι ὅμοιόν ἐστι. Sed ibi μέλι nominativus esse potest, quocum ἔοικε passim coniungitur, veluti ab Heraclito apud Sextum Emp.

adv. Log. VII 132 p. 398: *ἄπειροι ἐοίκασι πειρώμενοι ἐπέων καὶ ἔργων τοιούτων.* Cfr Schaeferus ad Dionysium de Comp. verb. p. 212. Certius exemplum indeclinabilis nominis *μέλι* ipse Philoxenus suppeditat apud Athen. IV p. 147 b: *τῷ δ' ἔπι παστὰ τευθίδες, ὦ φίλε, καὶ ξανθαὶ μέλι καρίδες αἱ κυφαὶ παρῆλθον.* Ita enim nunc corrigo vulgatum *ξανθαὶ μελικάριδες*, de quo non recte statui ad Antiphanis fragm. p. 145. Itaque Bergkio obsequutus sum, quamquam non minus recte coniunctim scribi potest *μελισυγκατάφυρτος*. Neque est cur quis offendat in hac syntaxi *γάλακτι καὶ μελισυγκατάφυρτος*, cui haud dissimile est illud Homeri Iliad. XXII 349: *οὐδ' εἴ κεν δεκάκις σε καὶ εἰκοσινήριτ' ἄποινα*, de quo cfr ad Theocriti Id. XV 129. Nec inepte compares Sophocl. Oed. Tyr. 476: *φοιτᾷ γὰρ ὑπ' ἀγρίαν ὕλαν ἀνά τ' ἄντρα καὶ πετραῖος ὁ ταῦρος.* — Vs. 18 libri *πλατάνισσα σαμορυτοπάγη*. Dindorfius *πλατάνισ σασαμορυτυπάγη*. Pro *πλατανισ* possis *πλαθάναισι*. Sed non dubito quin verum sit quod reposui *πλαθανίτας* *), h. e. placenta in *πλαθάνῳ* apparata. Eiusdem commatis sunt *ἄρτος τηγανίτης, ἄρτος ἰπνίτης*, alia. Tum scripsi *σασαμορυτοπαγῆ* h. e. bellaria ex sesamo et ruta compacta, ut vs. 19 *ζεσελαιοπαγῆ* bellaria fervido oleo confecta, ubi item male editur *ζεσελαιοπάγη*. — Vs. 19 libri *πλάτυντος ἀσαμόπαστα*. Recte Schweighaeuserus *σασαμόπαστα*. Tum certa coniectura restitui *πλατύνετο*. Verbo *πλατύνεσθαι superbire, sich breit machen*, usus est Timon apud Diogenem Laert. IV 42: *τί πλατύνεαι ἠλίθιος ὥς;* Eodem sensu idem usus est substantivo *πλατυσμὸς* apud Athen. XIII p. 610 c: *ἐν δὲ πλατυσμὸς πουλυμαθημοσύνης, τῆς οὐ κενεώτερον οὐδέν.* — Vs. 20 libri *καὶ τερεβινθοκνακοσυμμιγεῖς*. Schweighaeuserus *καί τ' ἐρεβινθοκνακοσυμμιγεῖς*, partim recte partim secus. Requiritur substantivum; itaque disiunxi *ἐρέβινθοι κνακοσυμμιγεῖς*, et scripsi

*) Operarum errore impressum est *πλαταvίτας*. Vitiose item Photius, *Πλάδανον: ᾧ διαπλάττουσι τοὺς ἄρτους*, pro *πλάθανον*.

κᾳτ'. Tum cod. A — *συμμιγεῖσα παλαῖς*. B *συμμιγεῖσ' ἀπαλαῖς*. Dindorfius *συμμιγεῖς ἀπαλαῖς*. Sed *ἀπαλαὶ* parum aptum est *ὡρῶν* epitheton et metro perniciosum. Itaque *καλαῖς* scripsi, quo satis commode vernum tempus significatur. Atque ita iam Dalecampius voluit. — Vs. 21 apud Dindorfium ita scriptum est *ᾠά τ' ἀμυγδαλίδες τὰν μαλακόφλοια ὧν*. In his *ᾠά τε* addidit ex BPV. Et habet ea haud dubie etiam A. Sunt enim et sententiae apta et ad metrum necessaria. Porro *τε* inserui post *ἀμυγδαλίδες*, et *τᾶν μαλακοφλοΐων* scripsi pro *τὰν μαλακόφλοια ὧν*, praeeunte Schweighaeusero, nisi quod is inscite coniecit *τᾶν μαλακοφλοιᾶν*. Tum A *τε τετρωκτατε*. L *τετρώκατε*. PV *τετράκασι*. Scripsi *τε τρωκτά τε*, indicata lacuna; excidit enim aut substantivum aut adiectivum huius mensurae — — *v*. Nuces dicit quibus pueri aluntur. Diodorus Sic. XIV 80: *τοὺς δὲ παῖδας τῶν πλουσιωτάτων τρέφεσθαι καρύοις ἑφθοῖς*. — Vs. 22 in *ἀδυΐδη* quid lateat fortasse alii videbunt; *ἀδυειδῆ* quod viri docti reponi voluerunt, non graecum est. Ibid. vulgo *κάρυα ἄλλα τε ὅσσα*. — Vs. 23 *ἔμεν* addidi ex coniectura Bergkii. Ibid. *τ' ἐπὶ κοινᾶς* Schweighaeuserus. A *τ' ἐπικοινας*. VL *τε πυκινάς*. Non credo tamen graece dici *ἐπὶ κοινᾶς* pro *εἰς κοινόν*, *in commune*. Itaque nescio an *ἐπὶ κλίναις* scribendum sit. — Vs. 24 libri *κηνόν*, quae Boeotica forma est ab huius carminis dialecto aliena. Scripsi igitur *καινόν*, ut voluit iam Dalecampius. Postrema vulgo ita leguntur: *καὶ ἐθαύμασαν αὐτό, ἔπειτ' ᾔνησαν*. Quae nunc rectius constitui quam feci nuper ad Cratini fragm. p. 101.

Ab hoc fragmento haud longo intervallo dissitum fuisse videtur aliud ab eodem Athenaeo servatum XI p. 487 a: *Φιλόξενος δὲ ὁ διθυραμβοποιὸς ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ μετὰ τὸ ἀπονίψασθαι τὰς χεῖρας προπίνων τινί φησι*

Σὺ δὲ τάνδ' ἐκβακχία
εὔδροσον πλήρη μετανιπτρίδα δέξαι·
πραΰ τί τοι Βρόμιος τὸ γάνος τόδε δοὺς
ἐπὶ τέρψιν ἅπαντας ἄγει.

41 *

Quamquam quum Athenaeus haec post manuum lavationem ab aliquo convivarum recitata esse dicat, erunt fortasse qui illa ex ea carminis parte desumpta esse suspicentur, quae coenae descriptionem continebat; ea enim finita, secundis mensis nondum illatis, potui convivas indulsisse, atque omnino potationem in luxuriosis conviviis aliquoties esse repetitam quum aliunde constat tum ex Hippolochi descriptione coenae nuptialis Carani Macedonis apud Athen. IX p. 128 c — 130 d. Philoxenus tamen post coenae descriptionem non videtur potationi et convivarum confabulationibus locum concessisse. Vide ad Dromonis fragm. p. 542. Ceterum adscripsi fragmentum illud ut editum est a Dindorfio, qui versu tertio articulum *τὸ* de coniectura addidit; non addendum fuisse haec docet corruptorum verborum correctio et versuum male dispositorum descriptio:

Σὺ δὲ τάνδε βακχίαν
εὔδροσον πλήρη μετανιπτρίδα δέξαι·
πραῢ τί τοι Βρόμιος γάνος τόδε δοὺς ἐπὶ τέρψιν
πάντας ἄγει.

Quorum versuum primus ex eorum genere fuit, quibus in fine secundi ordinis logaoedici adiectus est creticus, ut supra vidimus vs. 11. 14. Atque ita etiam in loco apud Athen. IV p. 147 d:

λευκοφαρινοχρόους, ῥύγχη κεφάλαια πόδες τε χναυμάτιόν
τε σεσιλφιωμένον. *)

Perquam autem memorabile illud fragmentum est iccirco, quoniam ex eo intellegitur, non totum carmen Philoxeni in rerum descriptione consumptum esse, sed fuisse etiam ubi convivas inter se colloquentes induceret.

Ad repetitam potationem etiam hunc locum refero qui legitur apud Athenaeum X p. 476 e: *τοὺς δὲ Παιόνων βασιλεῖς φησι Θεόπομπος — ἐκπώματα ποιεῖν ἐξ αὐτῶν* (ex

*) Ita correxit haec Dobraeus Adv. II p. 306. Confirmat codicis Veneti collatio Bekkeriana. Sed ea de re copiosius dicam in editione Athenaei.

bovinis carnibus), *τὰ χείλη περιαργυροῦντας καὶ χρυσοῦντας. καὶ Φιλόξενος δ' ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ φησὶν „ἐπίνετο νεκτάρεον πῶμ' ἐν χρυσαῖς προτομαῖς τε ἄλλων κεράτων· ἔβρεχον δὲ κατὰ μικρόν."* Quae ita corrigenda videntur:

Πίνετο νεκτάρεον πῶμ' ἐν χρυσέαις προτομαῖς καλῶν κεράτων· ἐβρέχοντο δ' αὖ κατὰ μικρόν [ἅπαντες].

H. e. *et denuo omnes paullulum inebriabantur.* De verbo *βρέχεσθαι*, *inebriari*, dixi supra p. 147. *ἅπαντες* propter metrum exempli causa addidi; pro *καλῶν* aliud quid scriptum fuisse probabile est, e. c. *κοίλων* vel *σκαμβῶν*. Quod Casaubonus voluit *μεγάλων* metrum evertit: *χρυσέαις* prima syllaba correpta numerorum lex flagitat. Verbis *προτομαὶ κεράτων* illud poculorum genus indicari videtur, quod *προσωποῦττα* vocabatur. V. ad Cratini fragm. p. 51. Plane ut Philoxenus *ἐκτυπωμάτων πρόσωπα* dixit Menander Piscat. IV 4, iniuria tentatus a Dobraeo Adv. II p. 333.

In epithetis quibus Philoxenus vinum ornaverat fuisse videtur etiam *ἀρκεσίγυιος* de quo ad Antiphanem dixi p. 120, quamquam id etiam ex alio carmine ductum esse potest, quemadmodum etiam hoc apud Athen. II p. 35 d: *εὔρρείτας οἶνος πάμφωνος*, quibus verbis vinum largiter fluens et insanos convivantium clamores ciens significatur. At ne quis ea quae Aristophanes Nub. 333 dithyrambicorum poetarum tumorem ridens affert: *κεστρᾶν τεμάχη μεγαλᾶν ἀγαθᾶν κρέα τ' ὀρνίθεια κιχηλᾶν*, et alia his similia, ea igitur ne quis scholiastae indicium sequutus ad Philoxenum et ad ipsum huius Convivium referat, satis opinor cavi Hist. crit. p. 89.

Finem faciam huic de Philoxeno commentatiunculae, ubi Hermesianactis de nostro poeta locum attigero apud Athenaeum XIII p. 598 e. Is nunc ita scriptus legitur apud Schneidewinum in Delectu poet. p. 155:

Ἄνδρα δέ, τὸν Κυθέρηθεν ἀνεθρέψαντο τιθῆναι,
Βάκχου καὶ λωτοῦ πιστότατον ταμίην,
Μούσαις παιδευθέντα Φιλόξενον, οἷα τιναχθεὶς
ὠρυγῇ ταύτης ἦλθε διὰ πτόλιος.

In horum versuum primo verissime Hermannus scripsit ὃν ἐθρέψαντο, quod nollem sprevisset Schneidewinus. Quasnam autem illas τιθήνας fuisse dicamus, quae Philoxenum ita nutriverunt ut fidissimus et Bacchi et tibiarum custos evaderet? Scribendum puto:

Ἄνδρα δὲ τὸν Κυθέρηθεν, ὃν ἐθρέψαντο τιθῆναι
Βάκχου, τὸν λωτοῦ πιστότατον ταμίην,
Μούσαις παιδευθέντα Φιλόξενον.

Ita igitur Philoxenus a Bacchi nutricibus nutritus et a Musis educatus esse dicitur; παιδευθέντα enim non recte credo Hermannum interpretari *castigatum*. Bacchi τιθήνας habes quum alibi tum apud Sophoclem Oed. Col. 673. ubi vide Musgravium.

VERSIONES
HUGONIS GROTII.

ANTIPHANES.

ΑΓΡΟΙΚΟΣ.

Amica alenti sese gravis est calamitas:
nam pestem domi habens maximam, gaudet tamen.

ΑΙΟΛΟΣ.

Macareus amore saucius sororio
tam foedam calamitatem suppressit diu
et se continuit: imperatorem sibi
donec praefecit vinum, quo solo duce
audacia antecursor est prudentiae.
ita nocte surgens voti potitu'st sui.

ΑΛΚΗΣΤΙΣ.

Ille ad res novas
applicuit animum, recolens hanc sententiam:
unum commentum, quamvis calidum, sed recens
saepe esse utilius veteribus multis solet.

ΑΝΤΑΙΟΣ.

Amice, nosti quis qualisque hic sit senex?
B. Graiugenam licet ab ipso adspectu agnoscere:
pulchra atque pulla tunica, candens pallium,
pileolum molle, baculus factus affabre,
non nimia mensa; nil dictu opus est amplius:
namque ipsam videor mihi spectare Academiam.

ΑΡΚΑΣ.

Sobrium, pater, haud decet
ebriace tumultuari, neque se curis dedere
cum bibendi est tempus: morem quisquis supra hominum sapit
fretus infaustae pusillae viribus pecuniae,
in foricas secedens aliis se quoque inveniet parem,
si contempletur quae medici signa ruspari solent,
quomodo sursum deorsum corporis venae meent,
queis gubernis vita sese sustinet mortalium.

ΑΡΧΩΝ.

Si Lacedaemone
degas, Laconum vivas opus est moribus:
eas coenatum publice in phiditiis,
vores ius nigrum, abstineas alere tittices.
ne sperne haec, melius quidquam nec desidera,
sed morem sequere antiquae gravitatis tenens.

ΑΦΡΟΔΙΣΙΟΣ.

I.

A. Ollam cupiens significare, meliusne ollam dixero,
an rotifigulifabrefactum concavicorpore vasculum,
factum ex terra, verum in alia matris percoctum domo,
quod gregis foetus novellos tenerulos lactaltiles
in se claudit irretitos? B. Aedepol plane me enecas,
nisi simpliciter atque aperte dicas ollam carnium.
A. Recte ais. flavaene apiculae latici mugientibus
mixtum de capris fluentum, molliter quod insidet
latis genitae Cerere castae virginis segestribus,
atque innumeris luxuriatur tegumentis subtilibus,
an placentam vis aperte dici? B. Hoc equidem mavelim.
A. Bacchici sudorem fontis? B. Vinum dic compendio.
A. Sordelutricem scatebram? B. Mitte vero, et dic aquam.
A. Casiolentem aetherivolantem fumum? B. Myrrham dicito:

nec mihi quicquam circuitu loquere totque anfractibus.
nam mihi labor videtur stultus, rem non dicere,
interim quae circa rem sunt multa simul convolvere.

II.

Lugere amicos luctu moderato decet:
nec enim perierunt, sed eam quam necessitas
indixit cunctis anteverterunt viam.
et nos citati mox suo quisque ordine
cogemur omnes in idem diversorium,
pariterque cum illis aevum agemus alterum.

ΒΑΚΧΑΙ.

Id quum obtineri nequeat, impense est miser
qui uxorem ducit, extra quam Scythiae in locis,
qua sola in terra nulla vitis nascitur.

ΒΟΙΩΤΙΟΙ.

Quod pulcrum est, rarum est et ubivis loci
in pretio.

ΔΙΔΥΜΟΙ.

Vide parasitus, recte si consideres,
ut sit utrarumque fortunarum particeps.
nemo parasitus cupit amicis sit male,
sed eos conspicere exoptat florentissimos.
vitam agitat aliquis splendidam? non invidet,
sed amat bonorum compartiri comiter:
amicus simplex, certus, sine periculo,
non pugnax, non malignus, inritabilis,
iram tolerare facilis: arridet iocis,
amabilis, ridiculus, hilaris moribus,
deinde ubi opus est, miles strenuissimus,
modo adsit coena opipara pro stipendio.

ΔΙΠΛΑΣΙΟΙ.

Nemo unquam, here,
moriendi cupidus vitae imposuit terminum:
sed avidos vitae pedibus orcus detrahit
restantes frustra, et epulis a Saliaribus
opibusque opimis ad sacras sedes rapit.

ΕΠΙΚΛΗΡΟΣ.

Senectus, quam tu es omnibus mortalibus
amabilis et cupita; sed quum veneris,
infesta, taediosa! benedicit tibi
nemo, qui sapiunt differunt te pipulo.

ΕΥΠΛΟΙΑ.

Tristitia hominibus vitaque aerumnabilis
pictores valde sunt mali: namque hoc agunt
primum, ut colorem delinant e corpore.

ΕΦΕΣΙΑ.

Miseri qui in pelago vitam vivunt: si tamen
quis navigantum vivit; centum stadia
terra proficisci satius, quam iuger mari.
tu npelago credas te tot salvis restibus?

ΗΝΙΟΧΟΣ.

Viro vir illud interest: alter malo
affectus id dum iactat accendit magis,
alter succollans fert minore incommodo.

ΙΑΤΡΟΣ.

Quicquid luctificum est homini, id enim morbus est
quacunque voce dixeris.

ΙΠΠΕΙΣ.

Qui nos vivamus quaeris? primum ephippium
nobis pro strato est, pileus pro poculo.
quid plura? agnoscas ipsum Cornu copiae.

ΚΛΕΟΦΑΝΗΣ.

A. Hoc bonum, regnum, an quid est
aliud? B. Imo operam rebus dare honestis. A. Ain?
B. Inter sophistas in Lyceo. A. Nae macra
gens est, ficulna, famelica. ibi quid dicitur?
B. Res ista non est si fit; quod sic colligo:
id quod fit, cum fit, esse iam nondum potest:
nec, siquid ante fuerit, quod fit nunc, erat:
nam nihil est id, quod non est: et quod nondum erat,
id quod nunc factum est non erat cum nondum erat,
quia factum est ex non esse. at si, unde, non erat,
ex non exstante. qui sit factum? id enim nequit.
sin ex se factum dicas, olim non erit.
hic quaerat aliquis, id quod non est denique
quid fiet? an quod non est? id fieri haud pote.
A. Haec quid significent nec Apollo intellexerit.

ΚΝΑΦΕΥΣ.

Quisquis deum artis primus monstrator fuit,
is maximo mactavit mortales malo:
nam si quis artis expers in inopiam incidit,
semet periclis obiiciens, uno die
aut rem decusque adsequitur, aut mortem invenit.
at nos quibus ars est data pro vitae pignore,
perpetua spe fovemus esuriginem:
cumque esse miseris liceat parvo tempore,
vitam per omnem tales esse malumus.

ΚΝΟΙΘΙΔΕΥΣ Η ΓΑΣΤΡΩΝ.

Ego antehac scirpos qui inter epulas solvere
iubent, putabam nugas nugari meras,
et id loqui quod non est. si quis ordine
fari esset iussus, quid ferat quis nec ferat,
ridebam, quippe credens esse inanias:
nec enim arbitrabar eos quod res est dicere,
sed insidiari. sed nunc verum comperi
dictum illud: nam contulimus ad coenam decem
homines, nec quisquam quod collatum est contulit.
hoc illud ergo est, quod quis fert, nec fert tamen:
perplexiloquii fuerat haec sententia.
verum his profecto est astus condonabilis:
at alii rebus ipsis innectunt dolos,
pecuniam qui nullam numerant: quod solet
Philippus. B. Hominem, pol, sollertem praedicas.

ΛΗΜΝΙΑΙ.

Ecqua est aut esse possit ars venustior
aut quaestus melior quam assentandi industria?
pictor laborat et sibi ipse irascitur,
multis periclis agricola est obnoxius,
circumstant alios moestae sollicitudines:
at nobis vita in risu et deliciis fluit.
haec ergo, summus in qua labor est, ludere,
ridere et irridere et potare affatim,
non suavis? mihi certe a divitiis proxima.

ΛΥΚΩΝ.

Tum rebus aliis aiunt esse Aegyptios
sollertes, tum quod anguillam aequiparant Deis.
quin vero longe est illa Dis pretiosior:
nam solis precibus nobis se indulgent Dei;
at illam, drachmas solidas cum dederis decem,

aut plus aliquanto, olfacere vix tandem licet.
tantam habet in se animal illud sanctitudinem.

ΜΑΛΘΑΚΗ.

Venit,
retro cedit, rursum accedit, non cedit retro,
abiit: fricatur, abstergetur, pectitur,
lavat, spectatur, convestitur, ungitur,
mundatur: si quid displicet, se strangulat.

ΜΕΛΙΤΤΑ.

Divitiis insolescit mercator suis,
in quas dominii ventus ipse plus habet.

ΜΙΣΟΠΟΝΗΡΟΣ.

Nonne ergo praeter caeteros sapiunt Scythae,
qui liberis de matre adhuc rubentibus
immulgent lactis bovilli et equini copiam?
neque illis addunt aut nutricis maleficas,
aut paedagogos, maius quibus haud est malum
reperire, si obstetrices prius exceperis?
namque illae exsuperant malitia ipsos ariolos
et mensurarum adulteros. sceleratius
excogitari posse non credo genus,
nisi quis priorem det locum piscariis:
sed et hos locandos post trapezitas puto,
qua natione nulla est pestilentior.

ΜΟΙΧΟΙ.

Nullum animal usquam pisces infortunio
exsuperat: neque enim satis est captis emori,
ut mox humanis in visceribus conditi
sepulchrum inveniant, sed dati piscariis,

quam nationem pessime Di perduint,
ibi putent miseri, per duos, per tres dies;
et si fors tandem caecum emtorem invenerint,
ei tollendi mortuos fit copia:
at qui foro hos extulerat, mox eliminat
domo, simul atrox perculit nares odor.

Μ Υ Σ Τ Ι Σ.

Frugalitatis studium Dis ipsis placet:
argumento hoc est quod post centenos boves
ad sacra tus adhibetur postremo loco,
quo significatur, illa quae antecesserant
inanes esse sumptus hominum gratia,
exiguum at illud esse quod oblectet Deos.

Ν Ε Α Ν Ι Σ Κ Ο Σ.

I.

Ego ante hac si quis nominaret Gorgonas,
figmentum esse arbitrabar: at postquam in forum
adveni, actutum credidi: piscarios
nam simul inspexi, factus sum ipse saxeus:
adeoque ego illos, ni prius vultum avertero,
affari nequeo: nam si inspiciam quantulum
quanti indicent pisciculum, lapidescam illico.

II.

Divitiae multis sunt integumentum malis,
o mater, at conspicua et despicabilis
res est paupertas.

Ν Ε Ο Τ Τ Ι Σ.

A. Quo pacto cum sorore Athenas Atticas
venisti? B. Duxit nos huc mercator: Syrus
erat ille gente, vitae genere cocio,

in auctione inventos qui nos emerat,
ad malitiae genus omne inexsuperabilis:
praeterea talis, ut earum rerum quoque,
beatus quas Pythagoras indulsit sibi,
praeter thymum nihil in domum intromitteret.

ΠΑΡΕΚΔΙΔΟΜΕΝΗ.

Illum ipsum liquido vobis ego iuro Deum,
cuius quod inebriamur est beneficium,
hanc me electurum vitam, detur si optio,
vel prae Seleuci regis excellentia.
sorbere lentem suave, tantum absit metus:
miserum cubare molliter, si adsit metus.

ΠΛΟΥΣΙΟΙ.

Euthynus nitens,
unguenta redolens cum sandalio atque annulo,
nescio quid secum mussitabat deputans:
at Taureas amicus et Phoenicides,
tanti inde ab antiquo helluones piscium
fragmenta ut ipso deglutirent in foro,
ad hoc spectaclum stabant velut emortui,
graviterque ferentes parcitatem obsonii
implebant hisce circulos rumoribus.
quam vita non vitalis, nec tolerabilis!
sunt ergo ex vobis qui maris sibi vindicant
curam, atque insumunt multum in eam pecuniae,
cum nihil interea piscium huc adnaviget?
quid ergo opus est praesidibus insularibus?
sciscenda lex ut piscium importatio
huc fiat. nam nunc piscatores occupat
Matron: Diogiton quoque persuasit omnibus
ad se ut deferrent piscium omnem copiam,
quam devorando rem non popularem facit.
in nuptiis namque et iuvenum conviviis
mera vastitudo est.

ΠΟΙΗΣΙΣ.

Scilicet tragoedia
felix poëma est. nam principio cognitum
argumentum omne spectatori est, antequam
verbum hiscat aliquis. nomen tantum dicere
poetae satis est. Oedipum praescripsero,
iam reliqua per se norunt; pater est Laïus,
Iocasta mater, tum qui nati et filiae,
quid fecit, quid patietur. si promiserit
Alcmaeona alius, ipsi dicent pueruli:
hic ille est qui interfecit matrem insaniens:
indignabundus veniet Adrastus statim.
tum vero ubi nihil ultra quod dicant habent,
et iam propemodum deplorata est fabula,
tam facile, quam digitulum, tollunt machinam:
atque id satis esse credit spectantum favor.
at nobis ista non licent, sed omnia
sunt invenienda, nomina imprimis nova,
res antegestae, res praesentes, exitus,
initia. ex illis si qua pars defecerit,
exsibilatur Phido, sive ille est Chremes.
illa alia facere Peleo et Teucro licet.

ΠΡΟΓΟΝΟΙ.

Scis mores meos:
fastum omnem a me removeo, amicus unice
amicis: ferri massa, si quis tetigerit:
praestringo ut fulgor alium; ut fulmen verbero;
si quem fero, ventus; laqueus si obstringo gulam;
locusta si quem insulto; si frango fores,
sum terrae motus: musca, si ad coenam est opus
ire invocatum: puteus in non exitu:
ad prendendum aliquem, ad falsa testimonia,
ad occidendum, si opus est, unus sum omnia.
iuventus nomen ob haec Nil dubitantis mihi

imposuit: sed ego nil moror dicteria,
amicus amicis reapse, non dictis modo.

Σ Α Π Φ Ω.

Feminea est natura, sinu complexa puellos,
qui muti claram non cessant edere vocem,
trans sola terrarum, trans salsi gurgitis undas
ad quoscunque volunt. datur hos audire remotis,
et tamen haud ullis contingunt pulsibus aures.
A. Natura quam tu dicis, haec est civitas:
ea oratores nutrit tanquam liberos:
hi clamitantes transmarina negotia,
res Thracias et res simul Asiaticas
huc pertrahunt: atque illis interea assidet
pascentibus sese et convitiantibus
plebs misera, nil adspiciens, nil exaudiens.
S. Orator sed enim mutus qui fiat nisi
ter deprehensus? A. Atqui coniexe optime
credebam: sed tu carmen perplexum expedi.
S. Natura, quam femineam dixi, epistola est:
proles, quam secum fert sinu, sunt literae,
quae fabulantur quamvis longe absentibus
quibuslibet: alter vero, quamquam adstans prope,
illas legentis nullos exaudit sonos.

ΣΤΡΑΤΙΩΤΗΣ Η ΤΥΧΩΝ.

I.

Quisquis est mortalium
qui in vita aliquid esse credit, quod sit certum et proprium,
fallitur: namque aut tributi grave onus exhaurit domum;
aut lite aliquis involutus rebus suis evolvitur;
aut mulctatur ob praeturam; aut lectus scenae praebitor,
aureas gregi cum vestes dederit, fert centunculum;
aut a servis expilatur dormiens aut ambulans.

nihil est certum, stabile nihil est usquam, nisi quod in diem
quisque genio gratum faciens sibimet ipse impenderit.
sed nec hoc securum satis est: facile namque everterit
aliquis mensam bene paratam. sed cum iam mansas dapes
perque dentium transmissas septa deglutiveris,
id demum tibi putato positum esse extra omnem aleam.

II.

Ex quo par pavonum in urbem nescio quis primum attulit,
rari qui fuerant, magis crebros cernas coturnicibus:
at virum bonum quaerendo si quis unum repererit,
natos ex illo vitiosos quinque cernet filios.

Τ Ι Μ Ω Ν.

Emi magnifice quae sunt opus ad nuptias:
tus oboli pretio Dis Deabusque omnibus,
semideis vero liba, mellitam dapem,
mortalibus sed nobis emi gobios.

Τ Ρ Α Υ Μ Α Τ Ι Α Σ.

Subinde et dissertatio
prorumpat aliqua, et carmen aut pars de choro
recitetur. rerum praeter unam est omnium
suavis vicissitudo.

Τ Ρ Ι Τ Α Γ Ω Ν Ι Σ Τ Η Σ.

Multum poetas caeteros Philoxenus
antestat. primum namque nominibus novis
a se repertis passim audacter utitur:
deinde variis vicibus ac coloribus
carmen figurat. inter homines ceu Deus
exstabat, artem veram callens musicam.
at nunc poetae floricarpa carmina,
fontana, hederea, miseris pangunt vocibus,
alienaque opera operibus intexunt suis.

Υ Δ Ρ Ι Α.

Is quem coepi dicere,
habitantem eodem mulierem viciniae
simulatque adspexit, venit in amorem illico.
civis erat, proximitatis tutelaeque egens,
sed mores aureos ad virtutem possidens,
amica vere. nam pleraeque mulieres
honestum infamant nomen foedis moribus.

Φ Ι Λ Ο Θ Η Β Α Ι Ο Σ.

Quam non ferendum est, pisces si quis venditat
recentes, hunc reducta fronte in verticem
advorsum nos tueri torvum ac tetricum,
qui putres vendat, hunc ridere ac ludere?
nam plane verum fuerat e contrario,
et hunc plorare et illum ridere affatim.

Φ Υ Λ Ο Π Α Τ Ω Ρ.

A. Uxorem duxit. B. Serione hoc nuntias?
uxorem duxit? atqui modo reliqueram
vivum ambulantem.

EX FABULIS INCERTIS.

I. II.

Polenta coenae nobis erit ipsum caput,
vallata paleis, structa perfrugaliter,
tuber, sed unus: tum pulmenti nonnihil,
boletus aut cucurbita, aliudve id genus,
quae misera miseris nobis largitur locus.
haec vita febre caret et pituita vacat.
Ubi carnes adsunt, nemo contentus thymo est,
nec qui se dicunt Pythagoristas.

IV.

Quid quaeso caussae est, cur quis optet a deis
pecunia florere et rerum copia,
nisi ut possimus amicis opitularier
et serere frugem Gratiae, suavis deae?
namque ea voluptas quae in potu atque esu est sita,
par ferme est cunctis: neque magis lautae dapes
esuriem sedent.

X.

A. Dic quaeso quid est.
vivere quod aiunt? B. Bibere: sic ego censeo.
vides fluenta propter hiberna arbores,
quae noctu humescunt pariter atque interdiu,
qua mole excrescant atque pulcritudine;
at quae obnituntur, squalle atque aritudine,
quasi sitientes, intereunt radicitus.

XII.

Res celare caeteras
utcunque possis, Phidia, haec praeter duo,
si nimium biberis et si in amorem incubueris:
utrumque de se manifestum indicium facit
oratione ac vultu, sic ut qui neget
tamen ipse suo se prodat testimonio.

XIII.

Trudendus haustus haustibus vini, labor labore,
cantus tubae cantu tubae, praecone clamitator,
strepitus strepitu, scortum altero scortillo triobolari,
Callistratus coquo, arrogans factum facto arrogante,
arma armis, sugilla pugil; sic factio factione,
negotium negotio, lis lite, nupta nupta.

XIV.

Epulis saepe mutatis frui
suave est, et illis partibus vulgariis
plenum, novi aliquid quamvis perfunctorie
gustare, duplas id voluptates parit.

XXII.

Musarum studiis adsidet usque et literis,
ubi certamen cernitur sapientiae.

XXIII.

Vere deorum vita est, alienas dapes
esse nec ad ullos calculos attendere.

XXXIII.

Qui se cottidie implet, is fit marcidus:
at diligentiam acuit qui paullum adbibit.

XXXIX.

Qui nil inique patrat huic lege haud est opus.

XL.

Iniusta lucra gaudium pariunt breve,
at longos contra luctus post tergum trahunt.

XLI.

O miseri quibus ad lucrum respicientibus
honesta sordent, antehabentur turpia:
capiendi aviditas vim sapiendi obnubilat.

XLII a.

Mortalis cum sis, intra mortalem sape.

XLII b.

Nullius esse conscium sceleris sibi
vitam per omnem plena res est gaudii.

XLIII.

Hera, quisquis aspernatur iurantem alterum
quem non compertum noverit periiurii,
deorum hic aspernari sanctitudinem
et ipse peierasse suspectus mihi est.

XLIV.

Furit qui ius iurandum defert improbo.
contra Di faciunt quam solent antiquitus.
nam simulac peieratum est, ictu fulminis
percutitur is qui ius iurandum detulit;
merito mehercule, quoniam temere credidit.

XLV.

Labore assiduo nihil est quod non serviat.

XLVI.

Dici nequit prolixa quae recte suis
accommodata rebus est oratio.

XLVII.

Honesti mores optimum peculium.

XLVIII.

Necessitas nos quando moriendi tenet,
nimium gravis iactura est mortem perdere.

XLIX.

Amice, qui non mortis sit peculium
miles, qui vitae causa se auctorat neci?

L.

Sic mihi videtur: servo qui patria excidit
benignus dominus patriae praestat vicem.

LI.

Quicunque amantes orbos mentis praedicat,
is ipse quantus quantust ingenii caret:
nam vita ab hominum si voluptatem auferas,
mors ipsa vita fiet: praeterea nihil.

LII.

Extrema malorum linea matrimonium est.

LIII.

Nullum esse gravius impedimentum potest
quam mulier dote sarcinata cum advenit.

LIV.

Unum mulieri quod credo hoc est, vivere
semel ubi desierit, non victuram denuo:
ultra usque ad mortem nihil est quod ei creduim.

LV.

Vir qui laborans oculis multa fert mala,
magnum laborum repperit solatium,
uxorem interea temporis quod non videt.

LVI.

Ne corpus ornes arte pigmentaria,
sed cor honestis moribus ac factis probis.

LVII.

Ain? celatum quod velis, id coniugi
tuae propales? id vero, quaeso, quid est
nisi indicinam facere fori praeconibus?

LVIII a. b. c.

Quisquis vereri discit ista aetatula
suos parentes, indolis ille est non malae;
at quisquis ius et aequum non praestat patri,
contemnet idem facile quotquot sunt deos.
nam res pudore digna est patrem vincere:
a patre vinci nobilis victoria.

LIX.

Dilecti nati cum quid facio in gratiam,
ego ipse memet videor munerarier.

LX.

Nugae merae sunt, alia si auro compares,
ut cui stat incorruptus naturae vigor
idemque vultus: cum mores sodalium
fortuna pingat formis discoloribus.
exploratrices ingeniorum sunt opes:
nam qui secundis rebus vivit turpiter,
quid pressum paupertate facturum putas?

LXI a. b.

Nunquam beatum credidi quantum libet
opulentum, qui re parta nesciret frui.
At nos divitiae, mos ut est medicis malis,
caecos efficiunt cum oculatos acceperint.

LXII.

Sis pauper honeste potius quam dives male:
namque hoc fert crimen, illud misericordiam.

LXIII.

Esto animus dives; nam divitiae caeterae
pascendis oculis vitae sunt choragium.

LXIV.

Insaniae tristitiam vicinam arbitror.

LXV.

Me miserum, quam illud iniquum atque intolerabile est,
fortuna cum desciscit et mores manent!

LXVI.

Generosus qui sit, aeque fortunam ferat:
namque esse infortunatum cuiusvis puto:
adversa recte tolerare, id vero viri.

LXVII.

Vini persimilis aetas est mortalium:
utrumque accessit minimo cum superest sui.

LXVIII.

Senectus veluti stabulum est: nam quidquid mali
humana recipit vita, in illam confluit.

LXIX.

Aram malorum iure senectutem voces:
namque ad eam sese recipit quod ubique est mali.

LXX.

Eheu! senectus, qui tibi maledicere
quaerunt, materiam his quam suppeditas uberem!

LXXI.

Nemo res patrias abligurivit senex,
aut res nequitia exhausit, aut meretriculam
redemit, aut in ius iit ob fractas fores,
adeo frugi est senectus, et misera est tamen.

LXXII.

De consciis me terret unum maxime
tempus, quod aeternum latere non queo.

XCVIII.

Gustare carnes qui semel didicit canis
gregem non poterit custodire in posterum.

ANAXANDRIDES.

ΑΓΧΙΣΗΣ.

Nulla uspiam servorum, amice, est civitas:
sed Fortuna hominum varie commutat statum:
multi hodie libertatis expertes agunt,
sed Sunienses cras erunt, perendie
fori participes: sic gubernaclum, ut lubet,
Fortuna cuique versat.

ΘΗΣΑΥΡΟΣ.

Conscriptor scolii carminis quiqui fuit,
quod bene valere posuit in primo loco,
bene fecit: at pulcrum esse cum facit alterum,
et divitem esse tertium, insanit nimis,
nam foedum est animal pulcher quem vexat fames.

ΚΥΝΗΓΕΤΑΙ.

Praedulce gnatus qui domi capit sibum.

ΟΔΥΣΣΕΥΣ.

Excipitis alter alterum dicteriis:
sat ego vos novi. qui specioso corpore est,
sacras vocatis nuptias. pusillior
est aliquis? guttam. vultu forte tristior
incedit quisquam? naeniam. alius crassior
fit iuris offa. gaudet aliquis sordibus?
pulvis vocatur. alium sectatur frequens?
huic lembo nomen. incoenatus obambulat?
ieiunus mugil est. spectat curiosius

formosos, est theatri molitor novi.
ioco qui eripuit agnum pastori, est Atreus;
qui vero arietem, Phryxus nuncupabitur;
qui vellus, Iason.

Π Ο Λ Ε Ι Σ.

Ego esse vester non queam commilito,
quando nec leges, nec mores consentiunt,
sed multis inter se intervallis dissident.
bovem tu adoras, ego quem sacrifico Deis.
anguillam numen esse reris optimum,
quae mihi putatur optimum esse obsonium.
non vesceris suilla, mihi nulla est caro
quae sapiat melius. tum tu veneraris canem:
ego eundem, si epulas praegustavit, verbero.
lex nostra solos qui integro sunt corpore,
at vestra mutilos lex sacerdotes probat.
tum si quod felem attigerit infortunium
ploras: ego illam occido et excorio libens.
magnum quid apud vos, mihi nil mus araneus.

Σ Α Μ Ι Α.

Namque assentari comitas nunc dicitur.

ΦΑΡΜΑΚΟΜΑΝΤΙΣ.

Quod sum ostentator, vitione id vertis mihi?
atqui longe haec ars alias superat, unicam
attentatricem praeter, quae primas tenet.

FABULAE INCERTAE.

I.

De nuptiis qui consulit, sibi consulit
non bene, quia consulto inconsultam rem facit:

namque id malorum initium in vita maximum est:
nam si dotatam pauper uxorem domum
ducit, non uxor ista, sed domina est viro,
qui servitutem servit. cui nupta est inops,
egens, in vitam ille servilem incidit,
ut cui iam pro uno sustentandi sint duo.
at turpem duxit; vita non vitalis est:
taedet pigetque in propriam ingredi domum.
pulchram exambivit alius: ah demens, suam
hanc si magis putavit quam viciniae.
ita quo te vertas cunque, haud effugere est malum.

II.

Non est senectus ut tu, pater, existimas,
onus adeo difficile; sed qui fert eam
minus decore, ipse impedimentum est sibi;
at contra facilem reddit et tolerabilem,
qui placide illius moribus se accommodat
tristitiam demens atque apponens gaudium.
male qui fert, sibi perpetuam moestitiam parit.

III.

Volupe est, novum
si quis repertum primus exterebraverit,
aperire cunctis: namque hi qui sapiunt sibi
solis, nullum artis iudicem inveniunt suae:
deinde invidentur. tradere in vulgus decet,
novitatis quicquid venere commendabile est.

IV.

Qui commendatum sibi sermonem acceperit,
iniustus est aut impotens si eliminet,
qui lucri causa iniustus: qui aliter, impotens:
et hic et ille pariter ex aequo mali.

V.

Iter hoc molestum est ac difficile, o filia,
domum in paternam de maritali domo

transire, si qua moris matrona est probi.
reciprocum iter hoc nunquam vacat infamia.

VIII.

O cor improbum,
quam tu malignum es solum in toto corpore?
nam subito saltas ubi timentem videris.

IX.

Ne te voluptatis unquam servum feceris:
neque enim viri hoc est, sed subantis foeminae.

X.

Umbratico doctore multo est aptior
amor magister vitae ad humanae viam.

XII.

Ubique finem reperit assiduus labor.

XIII.

Abeamus a puella: amaritiae est penus.

XVI.

Legum contemtrix ita volebat civitas.

XVIII.

Pulcrum est priusquam mortem merearis mori.

EUBULUS.

ΑΝΤΙΟΠΗ.

I.

Multi laboris nos ac mediocris cibi
sumus ac duramus: multum fantur Attici,
edunt non multum; sed Thebani plurimum.

II.

Imperitat Zetho sacra Thebarum loca
habitatum ut abeat: illic namque, ut res docet,

multo minore pretio panes veneunt:
erat autem ille esuritor. at in astu Atticum
Amphionem ire iussit musicissimum,
ubi facile pueri Cecropidum tolerant famem,
vescentes auris, se lactantes speribus.

ΑΣΤΥΤΟΙ.

Ah mulier, ne tu quaeso lactucas mihi
ad mensam appone, aut tu te accusa postea.
namque ad olus illud, vetus ut narrat fabula,
Adonim deposivit exanimem Venus:
cibus inde est mortualis.

ΑΥΓΗ.

Iam propera propera, ne hiatans in morem lupi
ubi his excideris frustra curras postea.

ΓΑΝΥΜΗΔΗΣ.

Victus miseri est: alit illum sopor.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ.

Contra severos ille est contumacior:
generi assentantum facilis: inirritabilis
etiam cavillos in se iactitantibus.
sint quamvis servi, hos solos ingenuos putat.

ΕΥΡΩΠΗ.

Conde Boeotum oppidum,
ubi sunt viri edere strenui totum diem.

ΙΩΝ.

Ita est supreme moribus Boeoticis,
ut posse eum cum coenat impleri negent.

ΚΑΜΠΥΛΙΩΝ.

I.

Quis ille primus, quis fuit mortalium
qui Amorem pinxit, finxit aut primum, alitem?
quam pingere ille norat nil nisi hirundines,
morum imperitus unice Cupidinis:
neque enim ille levis aut facilis excussu deus,
cum semel in corde insevit aegritudinem,
sed gravis inprimis: quomodo ergo aptus foret
pennis? haec quisquis dixit, nugas dixerit.

II.

Quam coenabat tenuiter!
non itidem ut illae totis quae porri globis
buccas tumentes farciunt et turpiter
arrodunt carnes: modicum sed de singulis
gustabat, instar virginis Milesiae.

III.

O testa: nam te finxit olim Thericles
cavum diffundens latus in amplitudinem,
egregie noscens quippe ingenium mulierum.

ΛΑΚΩΝΕΣ Η ΛΗΔΑ.

Iam pridem medius fidius audire hoc domi
memini: coquus si quippiam peccaverit,
apud vos vapulare eo tibicinem.

ΝΑΝΝΙΟΝ.

Quisquis subsessor iuris alieni toros
furtivos sequitur, nonne homo est miserrimus,
cum detur illi solis inspicere ad iubar
nudas, digestas tanquam in aciei ordinem,
stantes in nebula linea, quales Padus
lavat puellas amnis puri flumine,

et emere parvo pretio noctis gaudium;
non, quae res foeda est, furto Venerem quaerere,
protervitatis, haud amoris gratia?

ΟΙΔΙΠΟΥΣ.

De alieno primus qui coenare repperit,
fuit, ut res monstrat, moribus popularibus.
at quisquis ad coenam aut amicum aut hospitem
vocavit, ac deinde poscit symbolam,
eat in exilium, sed nihil exportans domo.

ΣΕΜΕΛΗ Η ΔΙΟΝΥΣΟΣ.

I.

Tres ego crateras solos his queis cor sapit
miscere soleo. sanitati is est sacer
qui primus bibitur: alteram sibi vindicant
amor et voluptas: tertium poscit sopor:
quem postquam ebiberunt qui esse sapientes volunt
domum recedunt: quartus contumeliae,
non ultra noster: quintus vociferantium:
sextus nequitiae: sugillarum septimus:
octavus revocatoris: nonus bilis est:
decimus furoris, tela ut mittantur quoque.
nam Liber multus parvo infusus vasculo
suos potatores facile evertit e gradu.

II.

Primum mihi si faciendum est, sunt qui sacrificant
aut sanguinem aut vesicam: nemo corculum,
omentum nemo. femore namque suavius
nil vescor unquam.

ΣΦΙΓΓΟΚΑΡΙΩΝ.

I.

Eram profecto, bone vir, languidiuscula,
quod esitassem ficus sub meridiem.

II.

Attelabos oculis referens, ore improbus, anceps,
bellator perimens non natae femina prolis.
Namque ille crocodili ova arripiens, antequam
ferinam in formam informe semen transeat,
frangit comeditque. B. At anceps quare dicitur?
A. Quandoquidem inferne pungit, labiis mordicat.
Novi ego qui iuvenis gravis est: mox serior aevi
avolat implumis terrarum plana relinquens.
Is prima aetate sedem retinet seminis,
at hac excussa levis huc atque illuc volat,
quoquo puerorum velificatur spiritus.

ΦΟΙΝΙΞ.

Ob raritatem pavus est miraculo.

ΧΑΡΙΤΕΣ.

Ah quanto satiu'st homini, per te oro Deos,
hominem nutrire si facultas suppetat,
quam penniplaudam strepericlangentem anserem,
aut passerem, aut malitiosum animal simiam?

ΧΡΥΣΙΛΛΑ.

I.

Iterum qui uxorem duxit, dispereat male.
qui primam duxit, parcam ei maledicere:
nanque is inexpertus eo cum venia erraverit:
at alter norat esset quid mulier mali.

II.

Pol male discrucier, summe Divum Iuppiter,
si unquam mulierum sexui maledixero,
quo nihil est usquam melius. nam fuerit mala
Medea: quid tum? quanti nam contra preti

Penelope? meruit si Clytaemnestre probum,
Alcestis laudem oppono. forte aliquis mihi
Phaedram accusabit; sed fuit rursum bona,
fuit bona aliqua mulier. heu miser haereo:
nam cito mulieres me destituerunt bonae,
complures enumerare cum possim malas.

EX FABULIS INCERTIS.

I.

Ad coenam nobis invitati sunt duo
homines invicti Philocrates et Philocrates:
namque unus cum sit, esse eum duco duos,
aut tres, et magnos, potius.

II.

Ubi namque Homerus quemquam fecit piscibus
vescentem Achivum? carnem torrebant modo:
namque elixantem fecit eorum neminem.

III.

Absurdum vero est semper quod vinum senex
meretricibus laudatur: at contra virum
quanto est iuvenior quisque praefertur seni.

IX.

Brassicam,
mulier, si attuleris ad vomendum, crapulam,
ni fallor, omnem protinus discusseris.

XI.

Vinum quidem animi nobis mentem obnubilat:
at aqua bibentes ipsam sollertes facit.

XVIII.

Dis ipsis sacrificatis nil praeter femur
penitamque offam tanquam pullipremonibus.

NICOSTRATUS.

ΠΑΝΔΡΟΣΟΣ.

II.

Res hominum sunt fortuna. providentia
quam dicunt, caecum est aliquid, pater, ac turbidum.

ΠΑΤΡΙΩΤΑΙ.

Caupo est hic viciniae
qui siveac etum, sive vinum vendidit,
sive oleum, unimodam tradit rem cunctis, aquam.

EX FABULIS INCERTIS.

I.

Si multa indesinenter et propere eloqui
sapientiae esset signum, certe hirundines
sapientiores hominibus multo forent.

II.

Felix ab omni parte nemo usquam est homo.
Euripides pol noster, amplexus bene es
aevum omne versus unius compendio.

III. IV.

Antiqua rursum tempore existunt nova.
Placere semper est difficile tempori:
non semper eadem nam placent isti deo.

PHILETAERUS.

ΚΟΡΙΝΘΙΑΣΤΗΣ.

Quam blandos quamque molles obtutus habet!
non frustra Amicae templum passim cernimus,
at templum uxoris nusquam in tota est Graecia.

ΚΥΝΑΓΙΣ.

II.

Hominem mortalem facere quid tandem est opus,
nisi suaviter aevum degere, atque id in diem,
si quis modo habeat unde: praeterea nihil
curandum est, quid agant homines, aut quid non agant,
nec quid futurum cras sit, nostrum est quaerere.
rex anxiorum pridianam intus pati
pecuniam iacere.

ΟΙΝΟΠΙΩΝ.

Mortalium
qui non bene vivunt cum divitiae suppetant,
hos omnium esse praedico miserrimos.
nam mortuus non comedes anguillas, neque
coquuntur in Orco liba nuptialia.

AMPHIS.

ΑΘΑΜΑΣ.

Nonne autem uxore multo benevolentior
amica est? certe. neque vero hercle iniuria:
namque illa lege ferocit et retinet domum.
haec autem novit aut venustis moribus
hominem illigandum, aut alium quaerendum sibi.

ΑΜΦΙΚΡΑΤΗΣ.

Ubi bonum sit illud, cuius tu per hanc
te compotiri speres, here, id aeque scio
atque ubi situm sit quod Plato dicit bonum.

ΑΜΠΕΛΟΥΡΓΟΣ.

I.

Ad casus tristis vita quos hominum capit,
nullum arte est aliud dulcius solatium.
nam disciplinis sese ingenuis occupans
sua mala mens sine sensu praeternavigat.

II.

Quibus male homines rem gesserunt in locis,
ad ea se rursum non libenter applicant.

ΓΥΝΑΙΚΟΚΡΑΤΙΑ.

Lude ac bibe:
mortalis vita: exigua in terris aevitas:
mors immortalis autem, postquam evenerit
semel moriri. *)

ΔΙΘΥΡΑΜΒΟΣ.

II.

Ain tu, et speras id persuasurus mihi,
amantem esse aliquem qui adulescentis diligens
mores honestos, faciem non consideret?
amens profecto: neque ego aut istud creduim,
aut pauperem ullum qui saepe aditet divitem
non aliquid inde velle impetratum sibi.

ΕΡΙΘΟΙ.

Iucunda solitudo quam res aurea est!
namque ager hominibus verus est vitae pater
qui solus novit paupertatem abscondere;
at urbs theatrum plenum est infortunii.

---

*) Poterant haec iisdem quibus graeca modulis adstringi:
Lude ac bibe: mortalis vita: exigua in terris aevitas.
mors autem immortalis, postquam evenerit semel mori.

ΙΑΛΕΜΟΣ.

Quisquis mortalis natus ad vitam volup
non studet adferre, res omittens caeteras,
ineptit, si quid certum est aut me iudice,
aut his qui sapiunt, et malo fato est miser.

ΚΟΥΡΙΣ.

Ut video, caeca dea Pecunia est,
quae nunquam ad hanc provisit: at vero interim
apud Sinopen et Lycen et Nannium
quasi siderata nunquam egrediens desidet.

ΠΑΝ.

Nam frugi coena immunis a petulantia est.

ΠΛΑΝΟΣ.

V.

Apud imperantes maximis legionibus
facilius infinito sermonem impetres,
quin et responsum accipias, si quid quaerites;
quam apud exsecrandos piscivendulos fori.
nam si quis quaerat quicquam, illorum alius quidem
de mensa tollens aliquid, tanquam Telephus,
stat capite prono tacitus (et merito quidem:
namque uno verbo homicidae sunt omne id genus.)
at alius tanquam surdus aut aliud agens
polypum concussat: alius irascens nihil
eloquitur nisi quod syllaba curtet. tuor
obolis emtum erit hoc: at sudis haec octo bolis.
obsonaturus haec audire cogitur.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ.

I.

Mihi equidem multis partibus laudatior
merobibulorum vita, quam vestrum, quibus
sapientia omnis fronte caperata sedet.
nam digerendis rebus quae prudentia
perpetuo invigilat, quia minutim atque anxie
momenta explorat, aggredi negotia
cunctatur: illa vero quae non deputat
tam pensiculate quid sit consectarium
ad quamque rem, calidius et iuvenilius
molitur aliquid.

II.

Quam res morosa est, summe divum Iuppiter,
homo tristis! et cuncta in malam partem accipit.

EX FABULIS INCERTIS.

II.

Medicina nulla melior est temulentiae
quam de improviso si qua moestitia accidat.
namque ea tam facile vim temeti dissipat
ut brassicam nil dicas nisi ludum et iocum.

III.

Deserere qui audet coenam immunem a symbola,
hunc et fugacem in acie ne dubita fore.

V.

Nimirum et in vino aliqua vis sapientiae est:
hebescit multis animus, cum potant aquam.

VIII.

Quicunque negat habere iuranti fidem
detegitur ipse promptus in periurium.

IX.

Taciturnitate nulla res praestantior.

EPHIPPUS.

ΒΟΥΣΙΡΙΣ.

A. Adeone ignoras esse me Tirynthium
Argivum, quod genus ebrii cunctas solent
pugnare pugnas? B. Ideo fugiunt perpetim.

ΕΜΠΟΛΗ.

I.

Tum vero intrantem si quem moestitudine
tentatum cernat, eum demulcet molliter,
et osculatur, non os rigidum comprimens
hostilem in morem, sed hians et passerculos
imitata, cantat, invenit solatia,
atque his remediis tristitatis nubilum
dispellens hilarem desubito ac placidum facit.

II.

Plane, adolescens, convenit
vel tibiarum cantus vel testudinis
cum nostris istis ludicris: utrumque enim
eorum qui adsunt ingenio si consonet,
ea demum magnam res voluptatem parit.

ΝΑΥΑΓΟΣ.

Deinde exsurgens iuvenis ingenio valens,
sectator ex Academia Platonis aut
Brysonis infrugiferaudacilucripetae,
subactus artis vi tenuiverbaucupe,
qui praemeditata nosset in coetu loqui,
gerens novaculae acie derasam comam,
recte promittens barbae longitudinem,
bene subter imum tibiae figens pedem

udone vinctum, tum palliolo tumidulo
et tunica aequiplice loricatus approbe,
sustentans baculo maiestatem corporis,
verba haec non credo sua, sed adoptitia
coepit profari: cives o terrae Atticae.

ΠΕΛΤΑΣΤΗΣ.

Haec deblaterans coenat, vivit,
iuvenes inter magnus habetur,
et rationum summam ignorans
gravis ipse sagum graviter fert.

ΣΑΠΦΩ.

Quum quis in florenti aetatula
alienum ingressus didicit edere obsonium,
et admovere dapibus immunem manum,
hunc tu arbitrare noctem tibi condicere.

ΦΙΑΛΥΡΑ.

III.

Ut rusticus es et stupidus, ut foedum loquens!
nimirum in ore laevam linguam possides.

EX FABULA INCERTA.

IV.

A. Te multa effari cogit vini copia.
B. Aiunt solere vera dici ab ebriis.

ANAXILAS.

ΛΥΡΟΠΟΙΟΣ.

Valesne? quam macer es! B. Peri.
rus ipse pasco.

ΝΕΟΤΤΙΣ.

I.

Quisquis unquam quamquam amavit genere de meretricio,
dicet nullum aeque scelestum posse reperiri genus.
nam quae terribilis dracaena, quae Chimaera ignem vomens,
quae Charybdis, quae trivertex Scylla canis Neptunia,
Vipera, excetra, Sphinx, leaena, volucre Harpyiarum genus
exsuperare nationem valeat exsecrabilem?
non pote. illae quod malorum est usquam, superant malitia.
singulas consideremus ordine. primum Plangonem,
more quae trucis Chimaerae vastat igne barbaros:
unus tandem eques est repertus, ipsi qui vitam abstulit:
nam supellectile omni rapta se proripuit de domo.
at quibus res cum Sinope est, nonne res est cum excetra?
ipsa namque anus est; at illi iam Gnathaena agnascitur,
pleraque illam pulchre referens, pestis ut fiat duplex.
Nannium vero quid est quod, oro, a Scylla differat?
nonne duobus strangulatis iam venatur tertium?
sed remorum auxilio navis effugit periculum.
at Charybdim nonne Phryne longe post se postumat,
quae naviculatorem absorpsit totum cum navi sua?
at Theano Siren ipsa est, nisi quod glabro corpore,
cui feminea vox et os est, crura qualia merulae.
Sphinx Thebana, hoc nomen omnes in meretrices convenit,
quae nihil dicunt aperte, sed perplexiloquis modis:
nempe se diligere, amare et una esse libentissime.
tum, quadrupes mihi detur, aiunt, lectus aut sedes puta,
adde bipedem, haec est puella: veniat postremo tripes.
haec qui intelligit, recedit illico tanquam Oedipus,
nil sui dans, atque ita solus damni se immunem facit.
at qui se credunt amari, sursum tolluntur statim
coeli sublimes in auras. breviter quot sunt belluae,
inter has est nulla, scorto quae sit pestilentior.

II.

Si qua ex divitibus colligens mediocria,
pauperibus gratis copiam faceret sui,

amice quod sic ageret eo amicae sibi
accepit nomen. et tu, quantum praedicas,
nunc incidisti in amicae, non meretriculae
amorem. estne ergo vere aperta et fraudium
expers? B. Venusta certe est: ita me Di iuvent.

ΥΑΚΙΝΘΟΣ ΠΟΡΝΟΒΟΣΚΟΣ.

Ars musica edepol pariter ut terra Africa
novum quotannis aliquod portentum parit.

ΧΡΥΣΟΧΟΟΣ.

Nam coenae hic solus, ut sapientes praedicant,
principium novit, at non novit exitum.

EX FABULA INCERTA.

I.

Adulatores vere adulant divites
ita quasi vermes. namque in hominem simplicem
sese insinuantes, hunc laedentes exedunt,
triticeum ut granum, donec vacuefecerint;
ita hic iam gluma est: ille alios admordicat.

II.

Tu cochlea ipsa multo es diffidentior,
quae adeo est diffidens ut domum circumferat.

ARISTOPHON.

ΒΑΒΙΑΣ.

Venturam apparet tempestatem. B. Scilicet
scaeva ominatur semper lumen pauperum.

ΙΑΤΡΟΣ.

I.

Nunc volo illi enuntiare quo sim ingenio praeditus.
si quis coenam praebet, adsum primus. ideo a iuvenibus
iusculum appellor: quadrupedem si quem sustolli est opus
insolentiae ergo, Argivum me luctatorem putes.
si domus insultanda est, aries: scalas si opus ascendere,
Capaneus sum: plagis ferendis incus: adversus alapas
Telamo: pulcher si vexandus aliquis, fumum dixeris.

II.

Inter sacrata sunt domus meretricium;
nam non solent patere nil habentibus.

ΚΑΛΛΩΝΙΔΗΣ.

Iterum qui uxorem ducit, pereat pessime:
nam primam si quis duxit, peccavit nihil,
ut qui ignoraret quantum in matrimonio
situm mali esset. at qui duxit alteram,
in notam pestem se irretivit denuo.

ΠΑΡΑΚΑΤΑΘΗΚΗ.

Turpe est pauperiem comitans imbecillitas.

ΠΥΘΑΓΟΡΙΣΤΗΣ.

I.

Ad nil vescendum et tolerandam esuriginem
est Tithymallus alter aut Philippides:
ad aquam bibendam, rana: edendis oleribus
porroque, eruca: illuvie strigmentum, scabres:
merula degendam ad hiemem sub Iove frigido:
aestu ferendo et fabulis meridie
fandis, cicada: ad olei inusum, pulvis est:
ad ambulandum mane, sed sine calceis,
grus: ad ducendam noctem insomnem, noctua.

II.

At nonne iure ac merito de sententia
consentium Deorum damnatu'st Amor?
nam seditiones atque turbelas dabat
vitam illic agitans. ergo cum esset arrogans,
confidens, alas puero praecidi iubent,
nempe ad coelestes ne unquam revolaret domos.
et sic eum ad nos demiserunt exsulem:
alas quas habuit, dederunt has Victoriae
ferendas, spolium ex hoste superato inclitum.

IV. V.

A. Narrabat mortuorum cum intrasset domos
ibi singulos vidisse, at multum a caeteris
differre Pythagoristas. nam Ditem patrem
hos sibi perpetuo coëpulones sumere,
pietatis ergo. B. Facilem commemoras Deum,
qui oblectet sordidorum se commercio.
Edunt
olera: pro potu nil nisi usurpant aquam:
iam vero illuviem, pallium, pediculos
tolerare nemo est iuniorum qui queat.

EX FABULA INCERTA.

Nox ferre malorum pausam pauperibus solet:
nam parte ab omni obumbrat illorum mala.

EPICRATES.

ΑΝΤΙΛΑΙΣ.

Haec illa est Lais, otiosa, merobiba,
nil aliud curans quam quod comedat in diem
bibatque. eique evenit aquilis quod solet:

namque eae dum vernant annis in iuvenilibus,
lepores vescuntur atque montivagas oves
sublime raptas impetu violentiae:
at ubi senecta attritus interiit vigor,
esurie tentae templum insidunt vertices:
quod spectio auguralis portentum vocat.
iure igitur summo Laida portentum putes,
quae cum floreret membris praeviridantibus
ferociebat nimia argenti copia:
vidisses ipsum Pharnabazum facilius.
at postquam extrema aetatis curricula attigit,
et se resolvit corporis compactio,
facile illam aspicias atque aspectam despuas.
quovis locorum ad compotandum cursitat:
nec iam staterem despicit nec triobolum:
iuvenibus non excusat: admittit senes:
atque adeo mansues facta est, o carissime,
argentum ut ipsa capiat e dextrae vola.

ΔΥΣΠΡΑΤΟΣ.

Quid enim miserius quam inter potandum „puer
puer" inclamari ab imberbi adolescentulo,
matulamque ferre et circum aspicere iacentia
semesa liba et avicularum corpora?
namque has reliquias servo tetigisse est nefas,
ut mulieres edicunt. qui calicem bibit,
venter vocatur: qui quid illorum ederit,
aufert gulosi nomen.

ΧΟΡΟΣ.

Postremo advenit lena detestabilis,
quae per Dianae, Liberae, Proserpinae
iurabat numen, integram esse et virginem
ut equulam indomitam, cum cavus esset murium.

EX FABULA INCERTA.

Quid nunc faciunt Plato, Speusippus,
cum Menedemo? quid dissertant,
aut quas curas corde volutant?
quae res illis acri studio
scrutanda data est? horum gnarus
si forte venis, per te oro Deos
memora docto sermone mihi.
B. Certo nobis comperta rogas.
casta novabant sacra quinquatrus,
cum grex iuvenum mihi conspectus
in gymnasiis Hecademe tuis.
ibi sermones audire mihi
valde absurdos datur et quos sit
retulisse nefas, dum naturam
rerum certo limite signant,
atque in partes et membra secant,
nunc animantum secla videntes,
et nunc stirpes olerumque genus:
iamque cucurbita cuius classis
dicenda foret, labor acer erat.
A. Rogo te, si scis, dic cuius eam
dixere gregis? quemve in finem
cecidit labor inquirendi?
B. Primum taciti
et figentes lumine terram
stabant dubii tempore longo:
sed adhuc restans dum turba minor
cernua quaerit, maiorum aliquis
ille rotundum definit olus,
alter generis magis arborei,
tertius herbam. quae dum medicus
quidam e Siculis finibus audit,
nugas ridens pedere coepit.
hinc bile gravi succensa cohors
se ludibrio quaerit haberi:

namque in docto talia coetu
audire nefas: nec tum iuvenes
de quaesito cura tenebat.
Plato sed praesens clemente animo
motusque nihil, dicere iussit,
nempe cucurbita quod genus esset.
tum quaesitam rem discipuli
rite in partes secuere suas.

CRATINUS IUNIOR.

ΟΜΦΑΛΗ.

Potare eum beatus qui vere siet
satiu'st: labores alios et pugnae iuvent.

ALEXIS.

ΑΓΩΝΙΣ Η ΙΠΠΙΣΚΟΣ.

Hic illam in diversorio
peregrinam reperi Aethiope comitatam. statim
inclamo pueros, duo quos tantum adduxeram,
ut tersum argentum promerent potorium.
argentum id omne cyathus erat argenteus,
drachmas pendebat is duas; tum cymbium
prope quattuor: decem obolos frigidarium,
Philippide tenuius.

ΑΙΣΩΠΟΣ.

A. Festive, lepide, pervenuste illud, Solon,
repertum apud nos est Athenis Atticis.
S. Quid illud? A. Ne bibatur in conviviis

merum. nam fieri id ne queat cautum est satis.
in plaustris ipsis iam dilutum venditur:
neque id qui vendunt faciunt causa quaestuis,
emptorum sed capitibus contra crapulam
volunt consultum. pergraecari hoc illud est,
sese irrigare poculis rorantibus,
atque interim aliquid nugarum inter se loqui.
aliter ubi fit, lavacrum, non potatio est:
cupis cadisque bibere, mors ipsissima.

ΑΠΕΓΛΑΥΚΩΜΕΝΟΣ.

Praetores equidem cum supercilium altius
tollentes video, inique facere existimo,
non valde interea miror, aucti honoribus
a civitate si altos sumunt spiritus.
at cum illos video perditos piscarios
superciliosos cum oculis demissitiis
nostro imminere vertici, emorior miser.
si quaeras, istos quanti, dic, mugiles duos?
decem obolis, inquit. ah grave est: octo, arbitror
accipies. sane si duorum emis alterum.
ah quaeso ne me indignum lude. quin abi.
haec nonne superant fellis amaritudinem?

ΑΠΟΚΟΠΤΟΜΕΝΟΣ.

Fertur haec sententia
inter sapientes, non volare Cupidinem,
sed eos qui cupiunt. illum onerari crimine
alieno, perque pictorum ignorantiam
adstare passim cum pennigero corpore.

ΑΣΩΤΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

Quid ista toties repetis ad fastidium,
Academiam, Lyceum et Odei fores,

magistellorum nugas, in queis nil boni est?
bibamus, ebibamus, epulis optimis
gaudentes animam fulciamus, dum licet.
vivamus, Mane. ventre nihil est suavius:
hic solus pater est, solus est mater tibi.
virtus, legationes, ductus bellici,
fastus inanes somnii strepitant vicem.
veniet fatalis hora quae te frigeret:
nil nisi quod biberis et edis, restabat tibi.
reliqua cinis sunt, ut Codrus, Pericles, Cimon.

Α Τ Θ Ι Σ.

I.

Qui primus dixit neminem sapientium
animatis vesci, sapiens ante alios fuit.
ego de foro nunc venio, nec quicquam adfero
animatum. pisces emi, verum mortuos,
ingentes. deinde pinguem agninam: sed nec haec
vivebat. nam qui posset? numquid praeter haec?
aliquid. bene tostum iecinor. esse in rebus his
quod habeat vocem aut animam si quis docuerit,
commisi in legem, nec supplicium deprecor.

II.

Ut nubes cogit Iuppiter, paullum initio,
ex in magis magisque.

Α Χ Α Ι Σ.

Quaesita tandem dabitur seperare omnia,
si non laborem fugias ac te deseras.
nam si homines tantis intervallis dissiti
reperire partem potuerunt caelestium,
ortus, occasus siderum, pulsus duos,
deliquia solis, quidni possint proxima
et sibi cognata quaevis deprehendere?

ΒΡΕΤΤΙΑ.

Ita vita humana est, quasi si ludas tesseris.
non habet eosdem semper iactus alea,
nec vita formam: varias sed patitur vices.

ΓΑΛΑΤΕΙΑ.

Herus meus olim literis operam dedit
adolescens cum esset, et promisit philosophum.
tunc Cyrenaeus forte in his locis fuit,
nomine Aristippus, doctus, ingenio valens,
qui facile primas ferret aetatis suae,
sed idem luxu longe anteiret caeteros.
herus isti sese in disciplinam tradidit
dato talento: atque arte de sapientiae
nil didicit, arte de saporis, plurimum.

ΔΑΚΤΥΛΙΟΣ.

At nonne pestis pessima est mortalibus
ebrietas, atque damnum damnosissimum?

ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ.

Ex parte vino non male assimulaveris
humanum ingenium. namque uti vinum novum,
ita iuvenis animus opus est ut deferbeat,
et despumando ducat aspritudinem.
at mox ubi illa nimia vis abscesserit,
et quae natabat in sublimi amentia
exhausta fuerit, tempus est considere,
ut sese praebens omnibus potabilem
perpetua placeat lenitate in posterum.

ΕΛΕΝΗ.

Quicunque amator tantum florem corporum
amat, et amoris alias causas non habet,

voluptatis amicus, non amicorum cluit:
iniuriusque Amori est mortalis Deo,
apud alios quem suo immerito suspectum facit.

ΕΛΕΝΗΣ ΑΡΠΑΓΗ.

Homo est protervus, quique canitiem nihil
reveretur.

ΕΛΛΗΝΙΣ.

Seu sunt exanimes sive sunt superstites,
infestae nobis sunt animantes pelagiae.
nam nave eversa nantem, si, ut fieri solet,
quem nanciscuntur, hunc continuo devorant.
piscator ipsas aliquis si nanciscitur,
iam sumtu emtores atterunt emortuae.
nam conciliantur toto patrimonio,
et eos mendicos faciunt, qui se praestinant.

ΕΠΙΚΛΗΡΟΣ.

Quicunque pauper obsonatur largiter,
et ad hoc abundat indigens ad caetera,
hic nocte, ut quemvis obvium fors obtulit,
despoliat. quare cui detracta vestis est,
eat observatum mane forum ad piscarium,
et quem repererit primum iuvenem ac pauperem
a Micione anguillas licitantem sibi,
obtorto collo ducat hunc in vincula.

ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ.

Nam multum vinum multum peccari facit.

ΗΣΙΟΝΗ.

Animum ut placavit, statim
calicem poposcit, et alium ex alio trahens

exhausit omnes. vulgo quod dici solet,
homo semper alias saccus est alias uter,
id illi evenit.

ΘΗΒΑΙΟΙ.

Quo genere tandem natus ille est? B. Dives est:
quod nunc genus omnes vocitant nobilissimos.

ΘΗΤΕΥΟΝΤΕΣ.

Quicunque negat habere iuranti fidem
detegitur ipse promptus in periurium.

ΙΠΠΕΥΣ.

Hoc est Xenocrates ergo, hoc est Academia?
Demetrio atque legum conditoribus
bona multa Di dent, quod eos qui se praedicant
tradere iuventae bene dicendi copiam,
iusserunt fine ex Attico ire in rem malam.

ΙΣΟΣΤΑΣΙΟΝ.

Ut sibi quaestum concilient ac despolient alterum,
prae hoc labore reliqua cuncta ducunt perfunctoria.
omnibus struunt insidias. postquam sic rem fecerunt,
alia sibi scortilla adsciscunt artis tirones novas:
has refingunt ac reformant, ut nec mores antea
iam tutentur, nec sit idem vultus qui pridem fuit.
si pusilla est aliqua, suber additur sculponeis.
longa est alia? plantam tenui leviter vestit diabathro,
et capite in humeros reiecto publicam incedit viam:
tantum abit proceritati. si depygis altera est,
fulmentatur assumentis, ut qui euntem conspicant,
bene clunatam exclament omnes. si cui venter prominet,
fasciis, videre quales in comoediis licet,
arrectaria insuper addunt, et sic quod protuberat

alui exterius, id retrorsum redigunt tanquam trudibus.
quae rufum superciliata est, pingitur fuligine.
nigra si qua est, de cerussa falsum candorem trahit.
ad pallorem si qua albescit, haec acantho iungitur.
nudum habendum ac promercale si quid pulchrum in corpore est.
dentes nacta est elegantes? pernecesse est rideat,
ut conspiciant quotquot adsunt quam sit ore venustulo.
quod si risum non amassit, desidere intra domum
cogitur dies perpetuos, et qualia coquo adiacent
cum caprugna capita vendit, tali myrrhae frustulo
labia transtinere et ori facere intercapedinem,
ut velit nolitve rictum consueat diducere.
talibus sutelis corpus atque vultum interpolant.

ΚΥΒΕΡΝΗΤΗΣ.

A. Parasiti, Nausinice, generum sunt duûm:
prius vulgare hoc rident quod comoediae,
nos homines atri. N. At alterum quaero genus.
A. Ili sunt e plebe eximii, parasiti graves,
vitae histriones, cum superciliis suis
millenitalentis, attrahipatrimoniis.
genus hoc remque omnem nosti? N. Scio quos denotes,
Satrapas parasitos, magnos legionum duces.
A. Utrivis horum generum, ne sis nescius,
idem artis modus ac forma est, assentatio.
sed ut in vita omni, sic horum alios inclitis
fortuna rebus, alios parvis applicat:
hinc partim opulenti, partim mendici sumus.
num, Nausinice, doceo ingeniose satis?
N. Interrogabis me iterum, si laudavero.

ΛΕΒΗΣ.

III.

Nemo unquam melior iuris auctor divite
Aristonico. namque is hanc legem tulit,

si quisquam faciens quaestum e re piscaria
piscem indicasset et minoris traderet
eum indicato, collo obtorto in vincula
abduceretur, ut eius exempli metu
addicere aequo vellent pretio, aut vespere
cunctos referrent pisces putentes domum.
nunc ergo anus, senecio, seu missus puer,
aeque bene omnes quicquid collibitum est emunt.

IV.

Aristonico post Solonis tempora
nemo legum auctor exstitit prudentior;
nam leges multas atque multiplices tulit,
et nunc rogationem scivit auream,
ne desidentes in foro piscarii
opsonia vendant, totum sed stantes diem.
idem ut pendentes faciant anno proximo
scripturus, homines quo a se absolvant celerius,
gerentes rem de machina exemplo Deum.

V.

A. Nefrendem serius, quantum arbitror,
assare furno aggressus est. B. Suavis caro est.
A. Atque ita eam adussit. B. Id te sollicitet nihil:
malum sanabile hoc est. A. Quo tandem modo?
B. Acetum sumes, idque in pelvim frigidam
infundes. capin' hoc? ollam deinde fervidam
aceto impones, quae vim retinens igneam
madorem ducet atque fermentabitur,
et veluti pumex vacuis plena meatibus
humorem innumeris simul acceptabit viis:
et sic eveniet arida ut ne sit caro,
sed quantum satis est succulenta et roscida.
A. O Iuppiter, quam medice? B. Fac ita, Glaucia,
ut imperavi. A. Tum quando appones, puer,
appone (satis intelligisne?) frigidam:
nam sic eveniet naribus ne se vapor

obtrudat, sed longe abeat superos in locos.
quantum videtur pol tu libros scribere
quam coquere multo potior. quod ais, non ais:
artique probro es.

ΜΑΝΔΡΑΓΟΡΙΖΟΜΕΝΗ.

Fastidiosa nonne res vere est homo,
gaudensque rebus inter se contrariis?
cognatos despicamur, amamus exteros.
egentes ipsi, divites aliis sumus:
conferimus quippe, sed conferimus pessimis.
quotidianum vero quod victum attinet,
optamus panis sit quam candidissimus,
atque interim illi aptamus ius nigerrimum.
bono colori nigrum superinducimus.
nivem potamus frigidam, interea tamen
pisces ni valde caleant, id vitio damus.
vinum quod acessit bibimus cum fastidio:
abyrtacas amamus insane tamen.
nonne ergo verum est, quod sapientes praedicant,
nunquam fuisse natum longe esse optimum,
aut natus si sis quam celerrime emori?

ΜΑΝΤΕΙΣ.

O nos profecto vere miseros coniuges,
qui emancipata libertate ac gaudiis,
ingenui nati, mulierum servi sumus.
et dotem habere dicimus, quae nil nisi
auctoramentum est plenum bile uxoria:
ad quam virilis illa nil nisi mel merum est.
namque illi ignoscunt cum ferunt iniuriam:
hae tunc cum faciunt ultro accusant alterum.
imperitant queis ius non est: queis ius est eos
neglectim habent. periurant: et quamvis bene
habitae aliquam semper simulant aegritudinem.

ΜΙΛΩΝ.

Qui primus docuit cum lucerna incedere
noctu, digitorum egregius curator fuit.

ΜΙΛΗΣΙΑ.

Nescitis evenire id plerisque artibus,
ut in architecti non sit unius sita
manu voluptas, sed ad hanc utentes quoque,
si recte utantur, partem contribuant suam?
B. Quale illud? ut hospes aliquid addiscam, face.
A. Coquere et condire recte id officium est coqui:
nihil praeterea. si qui esurus est, adest
in tempore, artem pro parte adiuvit sua.
quod si hoc articulo citius venit aut serius,
ita ut quod assum est debeat recalescere,
aut quod non assum est consummari celeriter,
spoliavit artem delectandi gloria.

II.

Homo sum; humani si quid alienum arbitrer
a me, nec miseros sublevem: haud sapiam probe.

ΜΙΛΚΩΝ.

Quod bonum est, Plato
bonum esse ubique dicit; quo tendam vides.
quod suave per se est, suave est hic etiam loci.

ΟΔΥΣΣΕΥΣ ΥΦΑΙΝΩΝ.

Longa conversatio
et novae quotidianae compotatiunculae
proferunt cavillam, quae delectat quam mordet minus.
hinc maledicendi principium nascitur: ubi quid dixeris,
audies tantumdem. restant nil nisi convitia,
deinde verbera atque pugnae. namque sese haec mutuo
per naturam consequuntur, vate nec quicquam est opus.

Ο Λ Υ Μ Π Ι Ο Δ Ω Ρ Ο Σ.

Mortale mihi quod corpus fuit, evanuit.
pars immortalis ivit sursum ad aethera.

Ο Λ Υ Ν Θ Ι Α.

I.

Est mihi vir inops: ego pauper anus:
est nata mihi, natusque simul,
et bona virgo haec. sic quinque sumus:
de quinque his tres modo coenant,
qui participes nos exiguae
faciunt mazae. si nihil adsit,
prodit nostro miser ore sonus,
vultusque fames tetra impastos
pallore notat. partes hae sunt,
victus nostri totus hic ordo:
cicer, aesculeis glans de ramis,
faba, bulbus, olus, rapa, cicadae,
pisa, lupinum, silvestre pirum,
dataque a divis mihi maternum
carica votum, Phrygiae ficus
dulce repertum.

II.

Qui sapiunt, hi non hominibus iurantibus,
sed rebus ipsis semper adhibebunt fidem.

Π Α Ρ Α Σ Ι Τ Ο Σ.

Sine voce coenat Telephus, rogantibus
leviter annutans, adeo ut rex convivii
Samothracibus Dis saepe concipiat preces,
ut sudum fiat ac tempestas desinat:
namque is adolescens est hyems sodalibus.

ΠΟΛΥΚΛΕΙΑ.

Qui scitamenta reperit, pol scitus fuit:
nam bene protraxit epulas, et fecit simul
ne quae essent unquam maxillares feriae.

ΠΟΝΗΡΑ.

Naribus
unguentum allinitur, sanitatis maxima
quae pars, odore cerebrum perfundi bono.

ΠΥΘΑΓΟΡΙΖΟΥΣΑ.

I.

Cape aquae decoctae cyathum: si crudam bibas
erit insalubre.

III.

Decuit tolerare paulum sordem, inediam,
illuviem, frigus, tristitiam, silentium.

ΠΥΛΑΙΑΙ.

Mihi medius fidius saepe admirari libet
qui fiat ut non omnes piscivenduli
summis praeniteant opibus, cum tam regia
tributa accipiant: nam sedentes publice
non sunt contenti decumae vectigalibus,
sed census totos hauriunt quotidie.

ΣΥΝΑΠΟΘΝΗΣΚΟΝΤΕΣ.

I.

Videas sat vel hinc mortalibus
pernicies sit quanta venter, quae doceat, ad quae incitet.
unam hanc partem si quis nostro demserit de corpore,
nemo iniuriam feret ultro, nemo contumeliam.
at nunc huius vitio ubique cuncta fiunt turbida.

II.

Qui mare navigio tentat, aut mendicus est,
aut furit, aut mortem quaerit: ex istis tribus
quin unum ei conveniat fieri non pote.

ΣΥΝΤΡΟΦΟΙ.

Quam dulce est, quod mediocre est, nec superat modum.

ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΣ.

Ut video, male
facilius tolerat quisquis non obnititur.

ΤΑΡΑΝΤΙΝΟΙ.

I.

Pythagorismi et fabulae
acutae et saponatae sollicitudines
illos saginant: praeter haec datur in diem
cuique horum panis assus et aquae poculum;
victus nihil praeterea. B. Vitam carceris
commemoras. A. Atqui sic viri sapientiae
addicti vitam vivunt aerumnabilem.

III.

Nulli datur
causa invidendi nobis, qui in nullum sumus
iniuriosi. nesciusne es, vivere
blandum esse nomen aevi quod nos degimus,
humana quo sors vocis mollitur sono?
ego, alius recte me secusne existimet
sentire, verbum nunquam commutaverim:
sed hoc me longa decuit observatio,
plenas furoris esse res mortalium.
revera peregrinamur quotquot vivimus,
et tanquam ad ludos celebres qui instituunt iter,

ita nos tenebrica mortis egressi plaga
venimus in aevum hoc, atque in hanc quam cernimus
lucem. qui vero Venere, potu, risibus,
tempus, quod sinitur, maxime transegerit,
praesertim in sibi par si sodalitium incidit,
suavissime actis ludis se referet domum.

ΕΙΣ ΤΟ ΦΡΕΑΡ.

Panibus
quot tendit laqueos heu misera mortalitas!

ΥΠΝΟΣ.

Nec immortalis, at nec mortalis tamen,
sed temperatus ut nec vitam caelitum
nec hominum vivat, sed renascatur recens,
idemque rursum pereat aeterna vice,
tam notus cunctis, quam conspicuus nemini.
B. Tune hic me griphis, mulier, ludificaberis?
A. Quin ego perspicua ac liquida simpliciter loquor.
B. Quis ergo puer est tali ingenio praeditus?
A. Sopor, o puella, humanas qui aerumnas quiet.

ΦΑΙΔΡΟΣ.

E Piraeeo dum redeo, perplexus malis
in philosophandi decidi lubidinem:
visique mihi sunt ignorare Cupidinem
qui sit, pictores omnes, et si qui alteri
amoris audent ostentare imagines.
nam mas profecto non est, sed nec femina:
neque vero Deus est, nec homo: non intelligens
rerum, non vecors: sed compactus undique,
species multimodas uno sub vultu gerens.
audacia in illo, si recte advertas, viri est,
pavor mulieris: insania lymphatici,
prudentis ratio: tum ferae violentia,

duritia adamantis, ac dei contentio.
atque ego qui haec dixi, tamen, ita me omnes Di iuvent,
ignoro quid sit: verum est in quo convenit
cum rebus istis, sed nomine disconvenit.

ΦΙΛΟΤΡΑΓΩιΔΟΣ.

Sapientis est consulere fortunam boni.

ΦΙΛΟΥΣΑ.

Ego quod sat est habere contentus mihi
odi quod nimium est. in eo quod superat modum
voluptas nulla, sola est ostentatio.

ΦΡΥΞ.

Sane ebrietatem crapula si anteverteret,
nemo temetum supra qui satis est modum
haurire vellet. sed enim nunc improvidi,
non exspectantes poenam vinolentiae,
promte quae obveniunt exsiccamus pocula.

ΨΕΥΔΟΜΕΝΟΣ.

I.

Assentantum brevis est flos;
nam nemo gaudet parasito tempora cano.

II.

Quod nimium est odi. namque in exsuperantia
impendi multum est, nulla delectatio.

EX FABULA INCERTA.

VII.

Illiberalis esse ingenii existimo
ire incomposite atque indecore per viam,
quando ire placide liceat, nec quisquam exigat

vectigal, sed tu tibimet absque impendio
praestare id possis. recto in incessu sita est
vis magna decoris, voluptas aspectantibus,
vitae ornamentum. tanta quis non praemia
sibi concupiscat mentis sat compos suae?

VIII.

Felices vivere oportet nitide ac splendide,
palamque habere quae data ab immortalibus.
nam qui beneficii est auctor, hunc qui sic agit,
utique novit, gratiae nonnil sibi
habere credit. at qui dissimulant data
et rem mediocrem praeferunt, ut improbos
inficiatores, nomina et fidei malae,
tandem despoliat commodata copia.

XI.

Si hominem otiosum de die non plus semel
cibum capientem, nec modulantem carmina
poetam videas, illi dimidium puta
periisse fortunarum, at huic artis suae
dimidium: at ambos aegre vitam vivere.

XIII.

Quam misera res est ante coenam accumbere!
nam nunquam interea somnus cuiquam obrepserit,
nec siquid dicat alius, quicquam intelligas;
adeo occupatus animus patinis imminet.

XVI.

A. Humanum ingenium vino differt maxime:
namque homo senescens aliis odio ac taedio est,
at vetere vino omnes libenter utimur.
B. Quia vinum nos exhilarat, at mordet senes.

XVI.

Nemo inter omnes vinipotores malu'st:
bimater etenim Liber hunc morem obtinet,
odit malignos et vitae omnem inscitiam.

XXXI.

Sapientis opus est operam deliciis dare,
tres quarum in numero sunt pollentes maxime,
vitae consummant quae beatitudinem,
potare et edere et Veneris fructus carpere:
accessionis alia habenda sunt vicem.

XXXIII a.

Uxorem nec ceritus nec lymphaticus
quis ducat, tanto vixerit cum suavius.
notam subire quanto satius pauperi
quam ferre uxorem? quippe quos censor notat,
hoc aliis imperare leges non sinunt.
at enim maritus ipsius imperium sui
eiurat: atque ei, vita dum incolumis manet,
cottidie supplicia nascuntur nova.

XXXIII b.

Ego non sustinui matrem derelinquere:
sed hanc servavi ante alia: nam quisquis sapit,
nihil praevortet matri, ne superos quidem:
unde ille sapiens, quisquis fuit, antiquitus
matri sacravit templi sanctitudinem,
rem nudam signans non adiecto nomine.

XXXIV.

Quam saginari iuvat
quottidie et nil agere condignum cibo,
sed otiosis circumferri passibus,
illa edopol vitae pestis infestissima est.

XXXV.

Divitias crede bonorum postremissimum:
possessionum nulla est inconstantior:
namque alia utcunque dominis fida mantitant.

XXXVI.

Non est magister ullus adolescentiae
tam fidus atque diligens atque est amor.

XXXVII.

Nunquam muliere est animal impudentius:
hanc ego de me ipsa coniecturam mutuor.

XXXVIII.

Non murus, non vis auri, non quidquid putes,
custoditu difficile est aeque ac foemina.

XXXIX.

Esto animus dives: nam divitiae ceterae
pascendis oculis vitae sunt choragium.

XL.

Nempe ut videtur etiam felicem vices
par est vereri, nec Fortunae credere.

XLI.

Fortunam mente esse orbam iam constat mihi;
aliter vir nunquam talis infelix foret.

XLII.

Noxam trahentes post se delicias fuge.

XLIII a.

Tristitia cum furore habet commercium.

XLIII b.

Terminum si excesserit
mediocritatis luctus, mentem eliminat.

AXIONICUS.

ΦΙΛΙΝΝΑ.

Mulieri crede hoc, aquibibam si se neget.

ΧΑΛΚΙΣ.

Cum parasitandi me adolescentem primulum
cepit cupido cum helluone Philoxeno,

ictus tum ferre didici digitorum, ossuum
et poculorum, tanto impactos impetu
ut octo minimum saepe ferrem vulnera:
atque id erat conducibile. nam sibi subditum
me habet voluptas. maior experientia
monstravit aliud conducibile quod foret.
siquis rixosus mecum amat contendere,
ad eum me verto, quaeque in me profuderat
maledicta vera fateor. ita vito malum.
sceleratus aliquis esse se dicit probum?
hunc ego collaudo et magnam refero gratiam.
glaucum hodie coctum si comesse inceperim,
eius reliquias cras comesse non piget:
tale est ingenium, mores sunt tales mihi.

EX FABULA INCERTA.

Quoties probus vir improbo pecuniam
credit, dolorem recipit usurae loco.

DIODORUS.

ΕΠΙΚΛΗΡΟΣ.

Volo manifesto ostendere
quam sit perhonesta res haec et ab auctoribus
profecta Divis: artes etenim caeteras
non Di repererunt, verum sapientes viri.
at parasitationem reperit Iuppiter
praeses amicitiae, qui Deus multo est maximus.
namque ille vulgo sese insinuat in domos,
locupletes, paupertinas, sine discrimine:
atque ubi concinne stratum lectum viderit,
appositam mensam rerum cui desit nihil

quae sunt necesse, tum ille accumbens suaviter
se prandio delectat, manducat, bibit,
domum regreditur, et quidem sine symbola.
idem ego nunc facio: namque ubi lectos videro
stratos et mensas exornatas opipare,
foremque apertam, protinus silentio
ingredior, et me comem facio, id unice
curans, molestus ne sim compotoribus:
tum postquam appositis memet satiavi bibi,
domum regredior, ut is quem dixi Iuppiter.
iam vero rem fuisse honestam antiquitus
et gloriosam, hoc argumento intelligas.
haec civitas eximio mactans Herculem
honore curiatim sacra illi facit:
atqui ad ea sacra nunquam parasitos Deo
aut urnae sorte aut forte fortuita accipit
qualescunque homines, cura sed magna legit.
vices duodecim civium e primoribus
et de familiis natos optimalibus,
queis sit domi res, quique honeste vixerint.
ex inde factum est Herculem imitantes viri
opulenti parasitos ut deligerent sibi:
at in eo peccatum, quod non festivissimos
legerunt, sed qui nossent assentarier,
laudare cuncta: usque adeo et si quis rancidum
silurum aut raphani ructet graveolentiam,
pransum esse dicunt violas permixtas rosis.
quod si quem iuxta accumbens displodat nates,
opus est admotis alter dicat naribus,
tam dulce suffimentum, quaeso, unde est tibi?
per illos nulla utentes cum verecundia
res bona et honesta coepit infamarier.

DIONYSIUS.

ΟΜΩΝΥΜΟΙ.

Age si quid sapiens, si quid eximium, Dromo,
si quid venustum calles ad negotia,
nunc praeceptori fac tuo id ut appareat.
namque artis specimen nunc ego a te postulo:
in hosticum te duco: procurre acriter.
observant si te et carnes numeratas danunt,
fac illas flammae dissipet violentia:
ita conturbabis numerum, dixi ut antidhac.
de pisce egregio quicquid est intus, tuum est:
fragmentum si quod surpias, et hoc tuum est,
dum sumus heic intus: verum postilla meum.
exemtilia autem multaque alia eiusmodi,
quorum nec numerus est nec indicatio,
sed ad minutal quae conficiendum valent,
ea te oblectanto meque crastini die.
sed ianitori partem de spoliis dato,
benignior tibi ut sit forium transitus.
quid vero multa moneo memorem ac gnarurem?
meus es discipulus: ego autem praeceptor tuus.
id cogitato, meque sequere intra domum.

ΣΩΖΟΥΣΑ.

Mors est sequestra litium: nam qui prius
odere, eidem morte defunctos amant.

EX FABULA INCERTA.

Nec illud igitur cogitas certissimum,
his qui nihil sunt invidere neminem?
invidia rebus semper egregiis comes.
res invidenda est eminens sapientia.

ERIPHUS.

ΑΙΟΛΟΣ.

Antiquus sermo est ac non aspernabilis,
pater: vinum, aiunt, quamvis invitos senes
salire cogit.

HENIOCHUS.

Iam singularum nomen expromam tibi:
at universim plurimas urbes vides,
quae iam desipiunt inde a multo tempore.
forte interpellet aliquis, et, cur hoc loco
sint pariter omnes, quaerat. ergo a me audiat.
quaecunque circum spatia telluris patent,
Olympia haec sunt. illam iam scenam aspice:
spectacularem eam esse persuade tibi.
esto. quid inibi civitates nunc agunt?
venerunt libertati facturae sacra,
quoniam tributis liberatae sunt modo.
sed postquam a sacro ventum est, illas perdidit
conviviis excipiens de die in diem
per multum tempus hospes imprudentia.
tum geminae ad illas accesserunt mulieres,
quae cuncta conturbarunt. Optimatitas
est nomen alteri, alteri Popularitas,
quarum incitatu pridem externatae furunt.

MNESIMACHUS.

ΔΥΣΚΟΛΟΣ.

Ne res iniunge quaero tam varias mihi,
nec quod sit asperum atque argentatum nimis,
sed modica: patruum me memento. B. O patrue,
qui possim modiciora? A. Dic minutius
saltem mihique impone; dic pro piscibus
pisciculos: aliud si quid est obsonii,
dic obsoniolum. sic peribo suavius.

ΦΙΛΙΠΠΟΣ.

I.

Nescis quibuscum tibi sit pugnandum viris.
caenamus gladios, sed subactos cotibus:
pro obsonio voramus accensas faces.
bellaria aliquis adfert in postcoenium
puer, sagittas pro ciceribus Creticas,
et confractorum reliquias hostilium.
tum vero nobis haec sunt pulvinaria
loricae et clypei: fundae sub pedibus iacent
et arcus: catapultis coronamur caput.

II.

Num Pharsalius
advenit aliquis, ipsas qui mensas voret?
B. Advenit nemo. A. Recte. namque, ut arbitror,
aliquam, sed assam, comedunt urbem Achaicam.

III.

Tam rarum id est quam lacte gallinaceum,
aut phasianus deplumatus approbe.

EX FABULA INCERTA.

Ad mortem somnus est anteinitiatio.

TIMOCLES.

ΑΙΓΥΠΤΙΟΙ.

At quomodo aliquem aut canis aut ibis sospitet?
nam si in confessos qui Deos sunt impii
supplicium extemplo sceleris non pendunt sui,
altare felis quomodo aliquem everterit?

ΔΗΛΟΣ.

A. Talenta quinquaginta habet Demosthenes.
B. Beatus si participat inde neminem.
A. Et auri vim non parvam accepit Metrocles.
B. Felix qui accepit: stultus autem qui dedit.
A. Accepit etiam Demon et Callisthenes.
B. Danda his est venia: nam pauperiores erant.
A. Habet et Hyperides promtus eloquentia.
B. Piscarios ditabit, tantus piscium
comedo, lari ut Syri sint, si ad eum compares.

ΔΙΟΝΥΣΙΑΖΟΥΣΑΙ.

Adverte sodes num quid ex usu loquar.
miserum suapte natura animal est homo,
et vita quanta quanta est scatet incommodis:
lenimenta ideo curis et solatia
sibi ipsa reperit. namque mens proprii mali
oblita, alienis dum se mulcet miseriis,
doctrinam pariter cum voluptate imbibit.
primum tragoedos, si placet, considera,
quam pulcra dent documenta: nam qui pauper est
ubi pauperiorem se cognovit Telephum,
ibi paupertatem fert suam patientius.
lymphatus aliquis Alcmaeonem conspicit.
oculis laborans caecos Phinidas videt.

natum effert alius: Niobe lugentem levat.
dolet hic se claudum: sed Philoctetem videt.
miser in senecta est: intuetur Oeneum.
ita quisque, dum evenisse maiores suis
olim aliis calamitates secum cogitat,
animo aequiore fert fortunae iniurias.

ΔΡΑΚΟΝΤΙΟΝ.

Egon' parasito quispiam ut dicat male
perpetiar? minime vero. nam nullum est genus
hominum quod plures de se utilitates creet.
si res honesta est consortio sodalium,
praecipuus ille est semper parasito labor.
si amas, amoris socium se adiungit tibi.
res est agenda? partem in se operae suscipit,
deberi hoc credens educatori suo.
laudator amicorum est incomparabilis.
sed, inquis, idem coenat absque impendio.
at quis non hominum dicam, sed superum Deum,
aut Semonum etiam, genus hoc vivendi improbet?
ac ne diem prolixa dicendo teram,
unum argumentum dabo, sed quod sit maximum,
parasitorum unde intelligatur dignitas.
virtutis ergo quae ludorum Olympicum
victores eadem et illi accipiunt praemia.
atque hinc, ubicunque vacua sumtu alimonia est,
ea omnes vulgo Prytanea appellant loca.

ΕΠΙΧΑΙΡΕΚΑΚΟΣ.

Forum videre plenum egregiis piscibus,
diti voluptas, crux est summa pauperi.
nam Corydus, quem nunc nemo, quod videam, vocat,
miser iam tristi vapulat domicoenio.
ridicula res evenit, cum plus quattuor

aereolis non haberet, anguillas videt,
torpedines, locustas, thynnos, dentiens
et circumcursans quanti quaeque interrogat,
sed pretio attonitus tandem fugit ad membradas.

Η Ρ Ω Ε Σ.

Sublata ut fuit
vitae educatrix, hostis esuriginis,
praeses amicitiae, medica defectae famis
mensa. B. Ut tibi sumtus hic supervacuo est labor?
nam mensam licuit uno verbo dicere.

Κ Ο Ν Ι Σ Α Λ Ο Σ.

Potans par pari urgebo virum
magnis cululllis verum ut omne enuntiet.

Π Ο Ν Τ Ι Κ Ο Σ.

Nam multos saepe iam paupertas impulit
indigna et praeter indolem committere.

Σ Υ Ν Ε Ρ Ι Θ Ο Ι.

Benigna sequitur mortuos miseratio:
vivos malignum nomen invidentia.

Φ Ι Λ Ο Δ Ι Κ Α Σ Τ Η Σ.

Aperite fores actutum ut ad lucem magis
conspicui simus, si forte hac obambulans
aedilis, facere ex lege quod coepit nova,
inire numerum cupiat convivantium.
mendose vero: factum nam fuerat bonum
incoenium hominum latebras perscrutarier.

EX FABULIS INCERTIS.

I.

Quisquis vereri didicit a puero patrem,
idem praestabit et patriae civem bonum
et magnas clades perduellibus feret.

II.

Pecunia anima et sanguis est mortalibus,
quam qui nec habet nec habendi rationem invenit,
is inter vivos vita cassus ambulat.

XENARCHUS.

ΠΟΡΦΥΡΑ.

Poetae nugae sunt merae; nam dicitur
iam nihil ab illis quod non sit dictum prius,
sed alii quae invenerunt, sumunt mutuo.
at piscium profecto venditoribus
sollertior gens nulla est aut sceleratior.
nam si quis hominum natus iratis Deis
pisces inspexit aridos, piscarius
pugnam continuo de composito conserit,
plagaeque dantur. Ipse quasi letaliter
ictus linquatur animo, sic collabitur,
iacetque pisces propter semimortuus:
aquam aliquis clamat: alius artem intelligens
aquale sumit, ipsum perfunctorie
irrorat, pisces toti ut permadeant facit:
fuisse captos ipsa hac hora diceres.

ΥΠΝΟΣ.

Felices nonne sunt cicadarum mares,
uxores quorum nullum de se edunt sonum?

THEOPHILUS.

ΚΙΘΑΡΩιΔΟΣ.

Thesaurus manens
felicitatis maximae est res musica
his qui illam edocti imbiberunt penitus sensibus.

ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΣ.

Seni non bene respondet iuvenis femina:
nam quasi navigium est: gubernaclo unico
parere nescit, ruptis sed rudentibus
de nocte in alio portu deprehenditur.

ΦΙΛΑΥΛΟΣ.

Quicunque mentem negat adesse amantibus,
ipse est ingenio stolido et bardis moribus.
nam qui voluptates de vita exemerit,
in vita praeter mortem nil reliquerit.
de me argumentum capio, qui nunc virginem
amo fidicinam (num desipio, per Deos?)
pulcram, proceram, in arte excellentissimam,
quam mihi conspicere suavius, quam est omnibus
vobis in lucar dividere pecuniam.

INDEX RERUM VERBORUM ET SCRIPTORUM.

INDEX RERUM VERBORUM ET SCRIPTORUM.

A.

C. K. X.

D. Δ.

E. H.

F.

G. Γ.

H.

I.

L. *Λ*.

M.

N. *Ν.*

P. *Π.* *Φ.* *Ψ.*

T. Θ.

V.

X. Ξ.

Y.

Z.